De
sacrificio Missae

244.445
B64

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
2400 RIDGE ROAD
BERKELEY, CA 94709

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/desacrificiomiss0000vari

KUNSTVERLAG

BEURON

DE SACRIFICIO MISSÆ

TRACTATUS ASCETICUS

CONTINENS PRAXIM ATTENTE, DEVOTE ET REVERENTER CELEBRANDI

AUCTORE

JOANNE BONA

PRESB. CARD. ORD. CISTERC.

BIBLIOTHECA ASCETICA

VII.

DE SACRIFICIO MISSÆ

TRACTATUS ASCETICUS

CONTINENS PRAXIM ATTENTE, DEVOTE ET REVERENTER CELEBRANDI

AUCTORE

JOANNE BONA
PRESB. CARD. ORD. CISTERC.

RATISBONÆ ET ROMÆ
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET
S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGR.
NEO EBORACI ET CINCINNATI: APUD FR. PUSTET & C°.

DE SACRIFICIO MISSÆ

TRACTATUS ASCETICUS

CONTINENS PRAXIM ATTENTE, DEVOTE ET REVERENTER CELEBRANDI

AUCTORE

JOANNE BONA

PRESB. CARD. ORD. CISTERC.

CUM TRIBUS APPENDICIBUS

CUM APPROBATIONE

ALMA COLLEGE
244.44
LIBRARY
B64
Alma, California

RATISBONÆ ET ROMÆ

SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET

S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGR.

NEO EBORACI ET CINCINNATI: APUD FR. PUSTET & C°.

MCMXIII

44217

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 29. Martii 1913.

Dr. Scheglmann Vic. Gen.

Prænotanda.

Joannes Bona natus est Mondovii seu Monte Regali in Subalpinis Italiæ nobili genere 19. Oct. 1609. Annum agens decimum sextum ordinem Cisterciensem in arctiori congregatione S. Bernardi prope Pignorolum ingressus est 19. Jun. 1625, in quo dictus est Joannes a S. Catharina. Cum maximis virtutibus sensim inclaresceret omnibusque ad recte pieque vivendum exemplo et incitamento esset, vix juvenilem ætatem egressus aliquot primum monasteria, tum universam Congregationem patrum suffragio moderandam invitus suscepit anno 1651. Huic muneri tanta prudentia, zelo, vigilantia, integritate vitæque sanctimonia præfuit triennium, ut egregius instituti sui reformator audire meruerit. Exacto hoc triennio ac magistratu deposito solitudinem repetere statuit, sed mox ab Alexandro VII., cui in minoribus constituto ob eruditionem morumque similitudinem acceptissimus erat, ad Urbem revocatus atque iterum eo urgente abbas generalis electus, idem munus pari atque antea sanctitatis laude septennio exercuit. Adscitus quoque est inter consultores Congregationum Indicis librorum prohi-

bitorum, Ss. Rituum ac S. Universalis Inquisitionis. Astitit morienti Pontifici, a quo semper magni est habitus. Demum a Clemente IX. nil tale cogitans ac prorsus invitus 29. Nov. 1669 ad purpuram potius protractus quam promotus fuit. Mortuo paucis post diebus Clemente 9. Dec. ejusdem anni a multis Cardinalibus in Pontificem expetabatur. Non sine sanctitatis opinione Romæ decessit 28. Oct. 1674.

Nonnullos edidit libros rerum liturgicarum eruditos et laboriosos, in quibus omnia prope, quæ in hoc genere optima sunt, accurate collegit, adeo ut illius diligentiam vix quidquam effugerit, utque „rerum liturgicarum magistri fere principis“ nomen et laudem sibi acquisiverit. Præter opera liturgica complura scripsit opuscula ascetica, quæ non minus æstimata sunt æstimandaque. Sunt autem hæc: *Via compendii ad Deum; Manuductio ad cælum; De discretione spirituum,* de quo quidam rerum peritus: liber hic, ait, vel ab ipsis sacris Congregationibus in auctoritate habetur et cum honore suscipitur; *Principia et documenta vitæ christianæ; Horologium asceticum* indicans modum obeundi christianas exercitationes; demum noster libellus *De sacrificio Missæ,* qui quanti sit æstimandus, ipse experieris, si legeris. (Cfr. H. Hurter, Nomenclator litterarius IV^{3} 308 seq.)

P. Gaspar Druzbicki S. J. natus est 6. Jan. 1590 in Polonia majori; 14. Aug. 1609 Cracoviæ Societatem Jesu ingressus, post munera Magistri Noviciorum, Rectoris, Provincialis, concionatoris egregie expleta supremum diem sancte obiit Posoniæ die 2. Apr. 1660. Reliquit opuscula egregia solidaque ascesi referta, ex. gr. *Tribunal conscientiæ* per varias examinum industrias seipsam discutientis, *Provisiones senectutis, Negotiatio spiritualis, De brevissima ad perfectionem via, De soliditate virtutis* seu Lapis Lydius; porro tractatus noster *de effectibus etc. Ssmi Missæ sacrificii,* qui continet etiam *Exercitia liturgica et eucharistica per varios pietatis affectus* quæ tomo sequenti hujus Collectionis exhibebuntur. (Cfr. H. Hurter, Nomenclator III³ 1217.)

Jacobus Merlo oriundus est ex Horst in ducatu Geldriensi 24. Julii 1597, hinc Horstius dictus est. Vir erat pietatis insignis, qui, ut suæ et aliorum saluti liberius et perfectius vacare posset, voto speciali cupiditatem plurium beneficiorum et ambitionem dignitatis sibi præcidit, corpus suum ob indefessos studiorum labores non adeo validum ciliciis, nodosis funiculis, jejuniis et quotidiana fere inedia macerabat, ut thesaurum castitatis cautius custodiret, ideo etiam multis annis familiam domi non aluit, paratus e domo vicina cibos accipere solitus, ac licet supremis annis

sororem domi recepisset, numquam tamen vel ipsam vel aliam intra limen cubiculi sui pedem inferre passus est, præscripta hac epigraphe: „Mulieris pedes foras sunto“. Summo ardebat desiderio cultum augustissimi Sacramenti in se et aliis promovendi; inter summos, quibus subinde premebatur, dolores, suspirabat identidem: „Adde, Domine, dolores, auge patientiam“. Cecidit caritatis victima, nam cum ægroto cuidam insanabili morbo laboranti et mephitim intolerabilem exhalanti diebus ac noctibus astitisset, tabem letiferam contraxit, qua consumptus ad meritorum præmia transiit 21. Apr. 1644, ætatis 47 annorum. Reliquit plures libellos asceticos pietatem spirantes, *Enchiridion officii divini, Viaticum quotidianum hominis christiani, Monita sapientiæ christianæ, Fasciculus myrrhæ et thuris, Paradisus animæ christianæ, Septem Tubæ orbis christiani, Christianus Theodidactus, Viator christianus, S. Bernardi vita et opera, Aphorismi eucharistici.* (Cfr. Hurter, Nomenclator III[3] 1090 seq.)

Ad Sacerdotes

de usu et scopo hujus libelli

Præmonitio auctoris.

Paucis te in hoc vestibulo sistam, quisquis es Christi sacerdos, qui hanc meam lucubrationem evolvere dignaberis, ut in ea edenda propositum meum ejusque scopum et usum noscas. Cum primum sacerdotio initiatus fui, illud protinus animo versare cœpi, quam ardua res esset suscepto ministerio rite fungi, et ipsum Dei Filium pro meis et aliorum peccatis incruento sacrificio quotidie immolare. Actus igitur conscientiæ stimulis, sanctorum Patrum et recentiorum fere omnium, qui de Missa sancte celebranda aliquid ediderunt, scripta percurrens plura ex illis documenta excerpsi, quibus in unum congestis paucisque de meo additis hoc opusculum composui, quod amicis impellentibus multos post annos publici juris facio. Et primo qui-

dem de ipso sacrificio ejusque valore et fructibus quædam generaliter præmitto. Secundo de his ago, quæ ad rite et pie celebrandum sacerdoti necessaria sunt. Tertio de antecedentibus Missæ celebrationem et de proxima ad eam præparatione. Quarto de ipsa celebratione. Demum de his, quæ sacro absoluto facienda sunt.

Inserui aliquot orationes et exercitia pro me meique similibus adhuc in limine perfectionis hærentibus, quibus si quis assueverit, a distractionibus præservari Deique amore succendi facile poterit. Alios autem, qui in altiori gradu sunt constituti, sublimiores exercitationes Spiritus Sancti unctio docebit.

Porro hæc exercitia non eo consilio descripta sunt, ut singulis diebus a sacerdote rem divinam acturo peragantur; sed legendus aliquoties libellus est, donec documenta in eo tradita bene animo percipiantur, et voluntas piis affectibus imbuatur: tum ea quisque seliget, quibus se magis affici senserit; et quoties celebrare voluerit, aliqua ex illis pro suo arbitrio et devotione assumet.

Terret quosdam prolixitas, sed inexpertos, qui tandem usu et exercitatione edocti, quæ prius ardua et onerosa putabant, expeditissima esse minimique negotii experiuntur. Velocius enim mens operatur quam lingua; et quæ non nisi longo sermone explicari possunt, unico mentis actu concipiuntur. Plura docebit usus, Deo juvante, cujus gratia ut mihi et omnibus, qui hoc meo labore uti voluerint, uberrime aspiret, enixe deprecor; sed mihi præcipue, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. Hbr 9, 14.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Caput 1.

Quædam præmittuntur de ipso Missæ sacrificio.

§ 1.

Quale sacrificium sit Missa.

Quamvis in Lege Veteri plura fuerint sacrificia, in Nova tamen unicum est, quod omnium legalium hostiarum differentiam tanto perfectius complectitur, quanto excellentior Deoque acceptabilior est victima, quæ in eo immolatur. Est igitur Missa sacrificium latreuticum sive honorarium, oblatum Deo ad summum et supremum cultum atque honorem ipsi exhibendum, tamquam primo principio et ultimo fini nostro, in protestationem infinitæ ejus excellentiæ, dominii et majestatis nostræ-

que ab eo dependentiæ, servitutis et subjectionis.

Est eucharisticum in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis naturæ, gratiæ et gloriæ collatis et conferendis ab ipso Deo ut summo benefactore.

Est propitiatorium et satisfactorium pro peccatis et pœnis debitis; applicat enim omnibus, pro quibus offertur, vim et virtutem sacrificii crucis; immo est idem sacrificium quoad substantiam, eadem hostia, idem principalis offerens, licet diverso modo offeratur. Ideo vero propitiatorium dicitur, quia hac oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ peccatoribus non ponentibus obicem concedit; pœnas item peccatis debitas relaxat, quia per ipsum applicatur sacrificium Christi, qui pro peccatis totius mundi in cruce satisfecit. Easdem pœnas remittit defunctis exsistentibus in purgatorio, quia ad eum quoque finem a Christo institutum est, ut constat ex potestate, quæ confertur sacerdotibus in ordinatione, offerendi pro vivis et defunctis; nec potest hoc effectu carere, quia ex parte ipsorum nullus obex esse potest. Porro in illis, pro quibus tantum offertur, sive vivis sive defunctis, tanta erit pœnæ remissio, quantam Christus ex sua misericordia taxavit; licet enim

res, quæ offertur, sit infiniti valoris, nostra tamen oblatio nonnisi finitum habet effectum, ut communiter docent theologi; in iis vero, qui simul etiam offerunt, augetur pro cujusque affectu et devotione.

Denique, quia Christus non solum nobis remissionem peccatorum, sed alia quæcumque beneficia promeruit, idcirco hoc sacrificium est etiam omnium bonorum impetratorium: spiritualium quidem primo et per se, temporalium vero secundario et quatenus ad spiritualia conducunt. Sed quia ex se vim habet dumtaxat impetrandi in genere, ut aliquid determinatum impetretur, debet ad illud offerentis intentio specialiter applicari. Ad impetrandum autem pro Ecclesia, semper intervenit ejusdem Ecclesiæ intentio, præsertim quoad ea, quæ in orationibus Missæ a Deo petuntur; nam ipsa quoque Ecclesia est offerens in persona sui ministri.

§ 2.

De his, qui offerunt hoc sacrificium.

Primum et præcipuum inter offerentes locum obtinet Christus, qui solus potuit acceptabile sacrificium offerre Patri, quod quia quotidie offert per sacerdotes ministros suos, ideo dicitur sacerdotium habere sempiternum, sicut scrip-

tum est: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Non solum autem ex eo est offerens, quod illud instituerit quodque ei vim totam ex meritis suis contulerit; sed ex eo præcipue, quod sacerdos in persona ejus, et tamquam minister ac legatus ipsum repræsentans sacrificat, ut constat ex verbis consecrationis; non enim dicit: Hoc est Corpus, vel: Hic est Sanguis Christi; sed: Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus. Christus igitur simul cum sacerdote idem sacrificium Deo Patri pro hominibus offert: et ex ejus persona, cujus purissima sanctitas et dignitas infinita est, semper hoc sacrificium mundum est et gratum Deo, quamvis a ministro peccatore offeratur.

Alter offerens est ipsa catholica Ecclesia, cujus sacerdos minister est, et in ea omnes fideles non excommunicati, qui etiam aliqua ratione sunt offerentes per sacerdotem, non tamquam per ministrum, sed tamquam per legatum seu mediatorem. Nam sicut tota respublica dicitur agere, quidquid ejus nomine legatus suus agit: sic omnes catholici dicuntur sacrificare, quia ipsorum nomine in persona totius Ecclesiæ sacerdos sacrificat. Non tamen omnes eodem modo; sed quidam habitualiter tantum: illi nimirum, qui nec adsunt sacrificio nec cogitant de

illo, quia tamen uniti sunt toti Ecclesiæ per caritatem, censentur habitualiter idem facere quod illa facit; alii causaliter, jubendo et curando, ut quis sacrificet, quod maxime contingit in dantibus ad hoc eleemosynam; alii demum actualiter, qui sacrificio actu intersunt.

Tertius offerens et proprius minister hujus sacrificii est sacerdos legitime ordinatus, cujus tam firma et immobilis potestas est, ut etiam in hæresim lapsus, suspensus, depositus, degradatus sive excommunicatus valide, licet illicite, hoc sacramentum conficiat et offerat, dummodo legitimam materiam et formam adhibeat. Nec valor sacrificii minuitur, etsi sacerdos pessimus aut ab Ecclesia præcisus sit; non enim fructus ex qualitate ministri, sed ex Christi institutione dependet.

§ 3.

De vi effectiva hujus sacrificii.

Duplex spectari potest in hoc sacrificio vis effectiva: una, quam dicunt theologi ex opere operato, independenter a merito et dignitate ministri; altera, quam vocant ex opere operantis, dependenter nimirum ab ipso operante ejusque merito et bonitate, atque ab ipso pretium et virtutem accipiens.

Primum effectum ex opere operato plures theologi docent nec sacerdotem percipere, ut offerens est, nec fideles, quatenus sunt offerentes, sed quatenus pro ipsis offertur; hunc enim effectum sacrificium istud non habet nisi pro iis, pro quibus est institutum, et eo modo, quo institutum fuit: est autem institutum, ut pro hominibus offeratur et ut illis dumtaxat prosit, pro quibus offertur; cumque sit applicativum virtutis sacrificii crucis, non causat nisi in subjecto, cui talis virtus applicatur; id autem fit ab offerente, qui determinat oblationem pro tali persona. Constans semper fuit catholicorum sententia, habere hoc infallibiles et determinatos effectus ex opere operato, nisi ille, pro quo offertur, obicem ponat, remissionem videlicet alicujus pœnæ peccatis jam remissis debitæ, vel donum alicujus gratiæ prævenientis ad obtinendam commissorum remissionem. — Quod vero attinet ad vim impetrativam, eam non esse infallibilem quotidiana probamus experientia; non enim omnia, quæ petimus et propter quæ sacrificium offertur, semper impetramus. Provenit hoc ex natura impetrationis, quæ requirit libertatem in dante, adeo ut possit pro suo arbitrio negare vel concedere quæ petuntur. Petimus enim proposito aliquo

motivo, quo putamus posse Deum moveri ad aliquid faciendum; sed ex eo non arctatur, vel propter pactum vel propter institutionem, ad concedendum. Deinde non impetramus, nisi voluntas nostra respectu rei, quam petimus, sit conformis voluntati Christi: quæ cum nobis ignota sit, ei non possumus nos conformare. Certum nihilominus est, non carere sacrificium hoc effectu, quia, tametsi id præcise Deus non concedat quod postulamus, aliud tamen tribuit, quod hic et nunc magis judicat expedire.

Quoad alterum effectum ex opere operantis duo sunt capita, ex quibus augeri potest. Primum est bonitas et dignitas operantis procedens ex habitu gratiæ sanctificantis et virtutum, quæ gratiæ annexæ sunt; nam quo sanctior est sacerdos et gratior Deo, eo magis acceptabiles erunt ejus preces et oblationes. — Secundum est actualis devotio, qua sacrificium offertur; nam quo major illa est, eo amplius ipsi prodest. Sicut enim alia opera bona a justo facta eo magis sunt meritoria et impetratoria plusque valent ad satisfactionem et remissionem pœnæ, quo perfectius et ferventius fiunt: ita hoc sacrificium, sive ut est sacramentum, quo ferventius peragitur et suscipitur, eo magis augetur meritum magis-

que prodest pro se offerentibus et suscipientibus et illis, pro quibus offertur. Ideo satagere debet sacerdos, ut sit Deo valde gratus et continua virtutum heroicarum exercitatione crescat apud illum in gratia et sanctitate, semperque celebret cum ingenti fervore et devotione: sic enim fiet, ut tam ipse quam alii, pro quibus offert, plures et efficaciores sacrificii effectus ex opere operantis consequantur.

§ 4.

De valore et fructibus sacrificii.

Quamvis nonnulli ex theologis existimarint, hoc sacrificium ex opere operato valorem sive efficaciam intensive infinitam habere, eo quod sit idem quoad substantiam cum sacrificio crucis resque oblata, Corpus scilicet et Sanguis Christi, sit infiniti pretii et ipse Christus principalis offerens sit persona infinita: certior tamen et communior sententia est non nisi finiti valoris esse. Potissima hujus assertionis ratio ex Christi Domini voluntate desumitur, qui noluit hoc sacrificium ordinare ad fructum intensive infinitum conferendum, sicut de facto rebelles Angeli non sunt redempti, quia Christus merita suæ passionis noluit illis applicare. Alia ratio est, quia ad infinitam sacrificii efficaciam præter ho-

stiæ et principalis offerentis infinitatem requiritur etiam ejus infinitas, a quo immediate offertur.

Cum igitur sacerdos immediatus offerens sit finitæ dignitatis, valor etiam sacrificii quoad actualem influxum et efficientiam finitus erit, quia actio illa a supposito finito immediate producitur: et in hoc differt a sacrificio crucis sacrificium nostrum, quia illud fuit immediate a supposito infinito ideoque fuit actio secundum esse morale infinita et Deo Patri infinite grata. Favet huic doctrinæ communis fidelium sensus, qui plura pro se et suis sacrificia offerri curant, quod certe non facerent, si infinitam in singulis efficaciam agnoscerent. Possent etiam sacerdotes unico sacrificio sexcentis obligationibus satisfacere, quod ecclesiastica vetant decreta. Frustra pro uno defuncto tot multiplicarentur sacrificia, quia unum sufficiens esset ad omnes animas liberandas. Missa denique cujuslibet sacerdotis sacrificium Christi in cruce æquaret, quod ideo unicum fuit, quia valoris infiniti. Neque considerandum est id, quod in sacrificio continetur, tamquam ens quoddam naturale agens secundum summum gradum virtutis suæ, sed ut ens liberum, cujus operatio tantam habet efficaciam, quantam habere vult ipsum agens

principale Christus Redemptor noster, qui hoc incruento sacrificio vult nobis applicari finitum tantum et limitatum fructum suæ passionis. Habet igitur sacrificium efficaciam finitam in ordine ad omnes suos effectus excepta vi impetrativa, quam ideo infinitam esse omnes fatentur, quia non consistit in aliquo, quod producatur a sacrificio, sed in excellentia et intrinseca dignitate ipsius, quatenus objective movet Deum ad id quod petitur concedendum, quamvis semper non concedat, nisi cum judicat saluti nostræ expedire ut concedatur.

Si vero loquamur de infinitate extensiva, an scilicet sacrificium pro multis oblatum æque singulis prosit, sicut uni prodesset, si pro eo tantummodo offerretur: gravis quæstio est præmissa distinctione fructuum Missæ definienda. Est igitur triplex portio valoris Missæ seu triplex fructus: generalis, specialis et medius. Primus pertinet ad omnes fideles, secundus est proprius celebrantis, tertius subest dispositioni sacerdotis, ut applicet cui voluerit. Primus ex eo provenit, quod generaliter pro omnibus fidelibus vivis et defunctis offertur; est enim idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, quod pro omnibus oblatum est; et ex Canone constat, debere

sacerdotem pro omnibus applicare, pro Papa, pro Episcopo, pro Rege, totaque Ecclesia militante et purgante, et non potest non applicare, cum sit ab ipsa Ecclesia ad hoc specialiter deputatus. Quocirca hic fructus ad omnes fideles extenditur, qui ab Ecclesiæ unitate non sunt præcisi et non ponunt obicem; et sic potest esse quodammodo extensive infinitus, omnesque et singuli, si per ipsos non stet, integrum fructum percipere possunt, ac si unus tantum esset. An autem hic fructus non solum impetrationem, sed etiam satisfactionem includat, controversum est.

Secundus in hoc fundatur, quia sacerdos offert etiam pro seipso: *Offero,* inquit, *pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis.* Debet enim, ut ait Apostolus, *quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Provenit autem sacerdoti fructus, quatenus ab ipso ut publico ministro offertur, et ideo non est alteri applicabilis; nam, dum offert pro se illis verbis *pro peccatis et offensionibus meis,* eo ipso sibi applicat: sibi vero applicatum non est alteri applicabile.

Tertius colligitur ex natura sacrificii, quod ita institutum est, ut pro hominibus

offeratur, ac propterea illis prodesse debet, pro quibus offertur. De hoc fructu medio communis sententia est non esse infinitum extensive, sed eo magis in singulis minui, quo magis extenditur. Debet autem sacerdos hunc fructum illi applicare, pro quo specialiter celebrare tenetur ratione beneficii, eleemosynæ, præcepti superioris, vel alio quocumque titulo; idque ante Missam vel saltem in Missa ante consecrationem: nam si essentia Missæ in sola consecratione consisteret, ut plerique sentiunt, applicatio post illam facta nihil valeret, sacrificio quoad substantiam jam consummato.

§ 5.

Quæ praxis servanda in applicatione Missæ.

Quia diximus sacrificii fructum debere a sacerdotibus applicari, operæ pretium erit, ex communi et magis recepta theologorum sententia praxim aliquam sive methodum hujus applicationis præscribere, quæ ipsis sacerdotibus usui sit, ne eos labi in re tanti momenti et muneri suo deesse contingat. — Et primo quidem observandum est, sacerdotem multiplici nomine hoc sacrificium offerre: nomine Christi primi et præcipui offe-

rentis, ex cujus meritis sacrificii valor emanat et ex cujus voluntate maxime pendet ejusdem applicatio; nomine item Ecclesiæ, cui meritorum suorum et satisfactionum dispensationem Christus commisit; deinde nomine proprio, quatenus libera sua voluntate offert sibique aut aliis pro suo arbitrio applicat; nomine tandem aliorum fidelium, qui simul cum ipso sive per ipsum interno affectu offerre dicuntur, illorum videlicet, qui Missæ inserviunt et assistunt vel pro ea celebranda eleemosynam largiti sunt. Porro Christus et Ecclesia sacrificii fructuum, quoties offertur, participes esse volunt omnes fideles, dummodo capaces sint et nullus in eis obex reperiatur: nec ulla requiritur ex parte sacerdotis celebrantis applicatio, ut communis hic fructus in omnes diffundatur. Omnium autem fructuum pars quædam notabilis, Christo sic volente et disponente, relicta est liberæ applicationi et determinationi tam ipsius sacerdotis celebrantis tamquam ministri et mysteriorum ejus dispensatoris, quam aliorum simul cum eo offerentium, quod ex communi Ecclesiæ consensu morem fidelium approbantis, quo expetunt hoc sacrificium pro se peculiariter offerri, manifestum est: frustra enim id facerent, si omnis ejus fructus jam applicatus esset

nec ullus per sacerdotis intentionem applicandus superesset. Sacerdos vero in hujus sacrificii actione aliis cum ipso offerentibus superior est, et ideo fructuum applicatio ab ejus intentione præcipue pendet; nam cum sit actus potestatis ordinis, ejus subjacet voluntati. Sed quanta et qualis sit portio fructus, quam Christus Dominus voluit sive generatim ad omnes fideles, sive speciatim ad hos vel illos secundum intentionem particularem sacerdotis celebrantis derivari: incertum omnino est; neque enim sacra Scriptura nec Ecclesiæ traditio nec Concilia aut Patres quidquam de hac re tradiderunt aut definierunt. Ideo satis est, quod sacerdos tantum de fructu sacrificii juxta devotionem sive obligationem suam his aut illis applicare velit, quantum Christus Dominus ipsi applicandum concessit.

Observandum secundo, quod, ut sacerdos sacrificii fructum valide applicet: necessaria est ejus intentio, qualem requiri ajunt theologi, ut aliquod sacramentum valide conficiatur. Quapropter habitualis sufficiens non est; actualis optima atque laudabilis, sed non necessaria; sufficit enim virtualis, illa nimirum, quæ ab actuali proveniens et non revocata adhuc remanet secundum suam virtutem. Debet autem hæc intentio ip-

sam sacrificii actionem concomitari, et esse certa et determinata, nec effectum sacrificii suspensum relinquere, quia non potest a futura conditione pendere. Quod si sacerdos fructum sacrificii nemini applicet, vel ille, pro quo offert, ejus capax non est aut eo non indiget, manet fructus in thesauro Ecclesiæ. Unde in tali casu optimum fore censent theologi conditionatam habere voluntatem et alium substituere, qui eo fructu potiatur. Optimum quoque aliquibus visum est, quod sacerdos, qui pro pluribus offerre intendit, eos specialiter et nominatim exprimat, non generaliter et in confuso, quia singulis minus prodesset: suum enim effectum producit secundum modum quo applicatur; perfectior autem applicatio est, cum omnes singillatim nominantur. Ad scrupulos denique evitandos, qui circa applicationem oriri possunt, debet sacerdos, rejectis incertis opinionibus, sacrificii fructus primo et principaliter illi applicare, pro quo celebrare tenetur ratione beneficii, eleemosynæ, promissionis, aut specialis obligationis. Tum sine ejus præjudicio, et in quantum licite potest, aliis item applicare poterit sibi caritate aut alia quavis ratione peculiariter conjunctis seu commendatis, suam intentionem intentioni Christi summi sacerdotis perfecte

conformando et submittendo: sic enim poterit tuta conscientia ex infinito et numquam exhauriendo thesauro meritorum et satisfactionum Christi, cujus dispensator est constitutus, partem aliquam in plures derivare, quæ ex summa et ineffabili Dei misericordia non nisi uberrima sperari potest.

Caput 2.

De requisitis in sacerdote ad rite et pie celebrandum.

§ 1.

De puritate vitæ.

Quod olim David de templi ædificatione, id sibi sacerdos de divini sacrificii oblatione et sumptione dictum putet: *Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Ad Deum igitur accessurus, ut ipsius Dei unigenitum Filium incruente sacrificet, cum timore et tremore tantum opus aggrediatur probetque seipsum et præviis dispositionibus præparet ad uberrimos sacrificii fructus percipiendos. Sunt autem tres præcipuæ dispositiones, quæ in sacerdote requiruntur: puritas vitæ, rectitudo intentionis, et actualis devotio.

Puritas vitæ in duobus consistit. Primum, ut sit mundus ab omni peccato non solum mortali, sed etiam veniali deliberato et scienter admisso, atque ab omni affectu erga ipsa peccata venialia: levia siquidem peccata omnino vitare nequimus; at ipsorum affectum penitus ex animo evellere et possumus et debemus, adeo ut nulli voluntate et affectu inhæreamus. Alterum, ut conetur omni studio esse purus et sanctus et ornatus omni virtute; sibique propterea illud peculiariter dictum existimet: *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.* Recte Chrysostomus: *Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? os quod igne spirituali repletur? linguam quæ tremendo nimis Sanguine rubescit? Cogita, quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris: quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, et facti sumus unum Christi corpus et una caro.* Docet S. Thomas, proprium effectum hujus sacramenti esse, hominem in Deum transformare et ipsi per amorem assimilare. Qua ergo fide debet esse imbutus, qua spe robo-

ratus, qua succensus caritate, qua præditus innocentia, qui talem victimam quotidie immolat Deumque suscipit et in ipsum mystice transformatur? Quod si dispositio, ut ajunt philosophi, ejusdem rationis esse debet cum forma, ad quam disponit: divina procul dubio dispositio necessaria erit, ut recipiatur cibus divinus, vita sic instituta, ut divina sit et superhumana et mundanæ atque carnali prorsus opposita. Qui sic vivit, secedit a creaturis et soli Deo adhæret: solus Deus in intellectu ejus est, solus in voluntate, solus in colloquiis, solus in operibus. Nihil in illo, quod sapiat mundum, quod carnem redoleat et sensum: seipsum odio habet, corpus suum jugi mortificatione crucifigit, divitias spernit, honores fugit, amat nesciri et pro nihilo reputari. Discutiat ergo vitam suam sacerdos, et si talem nequaquam esse, sed adhuc terrenam deprehenderit, in divinam transferre satagat sedula virtutum exercitatione. Hic etiam pertinet externa corporis et vestium mundities, gravitas et maturitas, quæ presbyterum, hoc est seniorem, deceat; talisque compositio totius hominis, ut omnes ex solo ipsius aspectu ædificentur.

§ 2.

De rectitudine intentionis.

Secunda sacerdotis dispositio ad celebrandum est rectitudo intentionis: virtutis enim laudem vel vitii notam a fine, quem intendimus, actiones nostræ sortiuntur. Intentio autem ut recta sit, non solum excludit omnem finem malum et alienum ab ipsa sacrificii institutione, sed etiam vetat ad ipsum accedere ex sola consuetudine, sine actuali tanti mysterii consideratione et prævia præparatione. Sacerdos itaque celebraturus diligenter attendat, quo fine moveatur: an propter damnabile lucrum aut aliquod temporale motivum, non cælestem panem, sed terrenum quærens, non animæ salutem, sed corporis emolumentum. Ne sacrificio pro mundi vita instituto in sui perniciem abutatur, finem sibi præfigat excelsum, cælestem, supernaturalem, qui Dei gloriam respiciat, propriam salutem et perfectionem ac proximi utilitatem. Huc dirigat suam intentionem, ut per hanc victimam salutarem purgetur a peccatis, a languoribus animæ curetur et ab ingruentibus malis protegatur; ut ab aliqua tentatione et adversitate eripiatur; ut aliquod beneficium impetret et de perceptis gratias agat; ut virtutes, augmen-

tum gratiæ et donum perseverantiæ obtineat; ut pro variis proximorum necessitatibus et pro requie defunctorum Deum interpellet et universam Ecclesiam ei commendet; ut cultum latriæ Deo exhibeat, sanctisque honorem et venerationem; ut Christi passionem et mortem commemoret, sicut ipse præcipit, dicens: *Hoc facite in mei commemorationem;* ut emendatus ab omni inquinamento carnis et spiritus seipsum Deo conjungat et inseparabiliter uniat, cum ipso consummatus in unum. Ex his et aliis hujusmodi motivis intentionem ante Missam dirigere oportet juxta formulam infra tradendam. Non est autem hoc loco prætermittendum, quosdam eximiæ sanctitatis et doctrinæ viros semper memores incertitudinis vitæ quotidie hac intentione Corpus et Sanguinem Christi in Missæ sacrificio suscepisse, ut, si eos contingeret ea die mori, viaticum illis foret ad vitam æternam. Multum vero hoc proderit sacerdoti ad mortis et æternitatis memoriam sedulo renovandam.

§ 3.

De actuali devotione.

Tertia dispositio in actuali devotione consistit, quam ut in se excitet

sacerdos, satagere debet primo, ut, quidquid de hoc ineffabili mysterio cælestiumque charismatum thesauris in eo reconditis sacrosancta docet Ecclesia, firma fide apprehendat cum sublimissima eorumdem æstimatione. Verbis enim consecrationis ab eo prolatis panis in Corpus et vinum in Sanguinem Christi transsubstantiatur, atque ibi adest sub specierum velamine illud purissimum Christi Corpus, quod pro salute nostra cruci affixum fuit; adest Sanguis, qui pro nobis effusus est; adest Anima gloriosa, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei; adest Christus, verus Deus et verus homo, mirabilis in majestate sua, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

Necessaria secundo est ad excitandam devotionem humilitas, quæ præ ceteris virtutibus in hujus sacramenti institutione maxime enituit; Christus enim, cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum et sub exiguis speciebus panis et vini Corpus suum et Sanguinem atque Divinitatem conclusit, seipsum exponens sceleratorum hominum injuriis, qui pleni immunditiis ad ipsum accedere eumque pollutis manibus contrectare præsumunt. Par igitur est, sacerdotem tantam humilitatem imitari et in suum nihilum

resilire ac nihil de se præsumere. Sola humilitas est, quæ digne nos præparat ad tantum hospitem suscipiendum. Nulla nostra dispositio, nulla industria, nulla virtus; sed sola Dei gratia nos dignos reddit: quare nostram debemus indignationem agnoscere et soli divinæ misericordiæ inniti.

Tertio, quia Christus hujus mensæ delicias acerbissima sua passione nobis promeruit, sanctos sacerdotes legimus ignem devotionis in se solitos succendere jejuniis, flagellationibus, ciliciis, et aliis hujusmodi cruciatibus: quos imitari et nos debemus Agno pro nobis occiso nosmetipsos immolantes silentio, solitudine, abstinentia, sensuum custodia, non omissis exterioribus castigationibus, juxta cujusque vires et conditionem. — Multum denique prodest ad devotionem ingens fames, fervens desiderium, atque ardentissimus amor hujus angelici panis, ad quem sumendum nos amantissime invitat Dominus dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Quod si desit hoc desiderium, illud saltem desiderare et a Domino petere debemus ferventissimis amoris actibus: *desiderium enim pauperum exaudiet, et animam esurientem satiabit bonis.*

Caput 3.

Variæ considerationes ante Missam.

§ 1.

Quanta sit sacerdotum dignitas, et quanta debeat esse sanctitas.

Nulla est inter homines dignitas, nulla excellentia, cui possit sacerdotalis sublimitas comparari. Omnium principum fulgorem superat, omnium regum potestatem excedit; illorum enim auctoritas circa temporalia et terrena versatur, sacerdotis autem potentia etiam ad æterna et cælestia extenditur, pro quibus comparandis omnes principes et reges ad sacerdotes confugere, opem eorum implorare seque illis subjicere non erubescunt. Ideo ab Apostolo dictus est sacerdos ab hominibus assumi, *ut offerat dona et sacrificia;* ac si super alios elevatus communem hominum conditionem antecellat, quasi mediator Dei et hominum *in his, quæ sunt ad Deum* constitutus. A Malachia item Propheta Angelis æquiparatur his verbis: *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus: Angelus enim Domini exercituum est.* Immo ex potestate, quam habet, absolvendi a peccatis et

conficiendi Corpus et Sanguinem Christi, etiam Angelis superior est; et, ut ait Nazianzenus *Orat. I.,* quædam illi divinitas inest aliosque efficit deos.

Hæc te sedulo considerare oportet, quicumque es Christi sacerdos, ne ad te pertineat Psalmographi sententia dicentis: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* Nihil in te terrenum sit, nihil commune cum populo. Sit angelica conversatio tua, vita divina, mores illibati. Quid turpius quam honor sublimis et vita deformis; sancta professio et illicita actio? Vide igitur, quam digne actio respondeat nomini, mores dignitati. Quod si sacerdotes antiquæ Legis jussit Deus sanctos esse, ut incensum et panes propitiationis convenienter offerrent: quanto majorem sanctitatem inesse tibi oportet, qui Filium Dei quotidie offers et suscipis? Et si solet corpus ciborum, quibus nutritur, qualitatibus imbui, æquum sane est, ut Christi in eucharistia exsistentis, quo singulis diebus vesceris, conditiones imiteris et virtutes perfecte exprimas. Latet Christus sub exiguis speciebus nec ullo se specioso indicio manifestat: tu quoque Dei dona absconde et ama nesciri ac pro nihilo reputari. Ille ibi manet peccato-

rum, infidelium ac etiam bestiarum injuriis expositus: tu similiter cunctis subjectus esto atque in omni contemptu et opprobrio patientiam serva.

Ille omnes seipso pascit sine ulla personarum exceptione: et tu erga omnes liberalis esto, sitque sincerus in te animarum zelus sine ullo humano respectu. Ille divisis speciebus nec læditur nec dividitur: tu etiam pacatum animum ac omnino imperturbabilem in omni difficultate conserva. Ille nullum detrectat locum et in eo stat, in quo collocatur a quovis sacerdote quantumvis scelerato: tu pari ratione ad omnia loca et officia indifferens esto nec ullum onus recuses, quod tibi a superioribus imponatur. In hoc dēnique sacramento substantia panis et vini desinit esse, et sola remanent accidentia: et tu eodem modo in te debes annihilare omnem terrenam substantiam, omnes scilicet affectus inordinatos, gloriæ appetitum, prava desideria, dictamina hujus mundi, et quidquid perfectioni contrarium est.

§ 2.

De excellentia hujus sacrificii.

Cum sacrificium sit primarium religionis munus, plane decebat, ut christiana religio, qua nulla perfectior et sublimior

esse potest, nobilissimum haberet sacrificium, cujus excellentia ex multis capitibus colligi potest. Primo ex eo, quod in illo offertur: qui est Christus Dominus, verus Deus et verus homo: et quia nihil excelsius illo est, ideo ratione ipsius actio ipsa sacrificandi omnes humanas actiones excedit, etiam actus Sanctorum in cælis Deum amantium. Cavendum ergo, ne nostra irreverentia et indevotione tam magnæ rei oblationem dehonestemus. Et si Deus olim sacerdotibus præcepit: *Mundamini, qui fertis vasa Domini:* quanto majori puritate nos enitere debemus, qui purissimum Christi Corpus et pretiosissimum Sanguinem Deo offerimus?

Secundo ex persona, cui offertur: qui est solus Deus. Nulli enim Sanctorum nec ipsi B. Virgini offerri potest; sed ex ipsa intrinseca rei natura convenit soli Deo, quia per sacrificium testificamur, Deum esse primum principium et ultimum finem nostrum et supremum Dominum omnium rerum, cui in signum nostræ subjectionis aliquod sensibile offerimus, ad significandum per rem sensibilem oblatam sacrificium internum, quo anima se offert Deo sicut principio suæ creationis et sicut fini suæ beatificationis. Hoc autem nec ipse Deus per absolutam suam

potentiam efficere potest, ut alicui creaturæ conveniat.

Tertio ex ipsa consecratione, qua panis et vinum in Corpus et Sanguinem Christi transsubstantiantur manentibus accidentibus sine subjecto. Est autem hæc actio omnino supernaturalis, quæ nullo modo pendere potest ab aliqua potentia creata tamquam a causa principali, quia solus Deus efficit transsubstantiationem.

Quarto ex valore ipsius sacrificii, qui est infinitus sicut merita et passio Christi ac proinde æque placet Deo ac mors ejus in cruce, licet effectus finitus sit.

Quinto ex fine, propter quem ceteris omnibus abolitis institutum fuit: ut nimirum per ipsum Deo creatori nostro cultum latriæ tribuamus nostramque servitutem et subjectionem humillime testificemur; ut dignas ei gratias perpetuo agamus pro universis beneficiis ejus; ad auxilia divinæ gratiæ ejusque protectionis, excitationis et directionis impetranda; ad obtinendam peccatorum veniam; ad iram Dei placandam et imminentia flagella avertenda; ad succurrendum omnium vivorum et defunctorum necessitatibus, quæ sunt pene infinitæ. Porro ex his clarissime constat, nullam posse majorem in hac vita aut præstabiliorem ac-

tionem a mortalibus exerceri, quam offerre Deo hoc sacrificium. Ideo nullus seu rex seu pontifex esset, qui sacerdotem celebrantem quacumque ex causa accersere cœptumque sacrificium interrumpere auderet. Quia vero sacerdos hoc sacrificium peragit in persona Christi, ita se gerere debet, ne quid in ipso sit, quod Christi personam dedeceat: sicut legatus regis personam sustinens summopere cavet, ne quid indecorum et suo munere indignum committat.

§ 3.

De ejusdem necessitate.

Debet sacerdos sollicite considerare, quam sit necessarium hoc sacrificium, quo summopere indigent et qui sunt in hoc mundo et qui in purgatorio: hi ut citius liberentur et ad perennem felicitatem perveniant; illi ut continuis Dei præsidiis adjuventur. Ad ipsum enim spectat tamquam ad legatum totius orbis omnium petitiones ad Deum ferre, omnium necessitates spirituales et corporales eidem exponere et singulis obtinere, quod singulis prosit ad salutem. Sunt autem necessitates spirituales: primum peccata, quibus plenissima sunt omnia regna mundi in quovis fere hominum

statu et conditione; deinde sunt tentationes internæ et externæ a corrupta natura, a sensibus et membris, ab extrinsecis objectis rerum et personarum, a volubilitate liberi arbitrii, a dæmonibus oriri solitæ, eæque innumeræ et superatu difficiles; sunt denique occasiones extrinsecæ malorum ad peccata allicientes domi et foris, et hinc perpetua pericula æternæ damnationis.

Necessitates corporales sunt etiam innumerabiles, quibus omnes vel premuntur vel sunt obnoxii: morbi videlicet, bella, persecutiones, lites injustæ, inimicitiæ, odia, calumniæ, contumeliæ, paupertas, mendicitas, amissiones bonorum, exsilia, carceres, insidiæ, doli, fraudes, pugnæ civiles et domesticæ, jurgia, detractiones, et multiplices injuriæ dominorum, servorum, vicinorum, æqualium, quæ passim inferri solent manifeste vel occulte.

Sunt igitur in magna necessitate catholici male viventes, qui peccati mortalis nexibus irretiti computrescunt in fæcibus suis; omnes quoque infideles hæretici, schismatici, Judæi, pagani et Turcæ, qui veri Dei cognitione carentes in tenebris vivunt: neque hi omnes a statu adeo infelici naturæ viribus emergere possunt, nisi respiciens desuper Pater misericordiarum potenti vir-

tute eos excitet et præveniat. Justi item, tepidi et imperfecti et alii etiam ferventes, quibus continuum imminet periculum cadendi in peccatum mortale et gratiam divinam amittendi, cum sit tanta depravatæ naturæ fragilitas, tanta carnis rebellio, tanta dæmonis rabies, tanta vis pravorum habituum, tanta mundi corruptela. Sunt et alii sine numero suprascriptis calamitatibus pressi. Quidam enim ope divina indigent ad aliquam tentationem superandam, alii ad aliquam virtutem acquirendam sive ad aliquem actum supernaturalem eliciendum. Quidam in mari sunt, alii in via non satis tuta. Hic vexatur inimicitiis, ille calumniam patitur. Nonnulli paupertate, alii morbis, scrupulis, litibus, ære alieno aliisque calamitatibus affliguntur. Multi sunt in periculo mortis constituti, a qua pendet æternitas, quos modo prorsus inexplicabili torquent et cruciant peccata commissa, bona omissa, temporalia quæ relinquunt, æterna ad quæ properant. Gravissimam denique necessitatem patiuntur animæ defunctorum in carcere purgatorii detentæ, quarum tota spes in suffragiis nostris sita est, cum ipsæ pro se nec satisfacere nec quidquam possint impetrare. Horum omnium infinita multitudo supplices manus extendit ad sacer-

dotem miserabili ejulatu clamans et deprecans, ut partem aliquam divini auxilii singulis impetret, porrectis in Missa supplicibus eorum libellis, quos serio et ferventer magnoque affectu æterno Patri commendare debet. Turpe enim esset in conspectu tantæ majestatis distractione vel hæsitatione insulsam reddere legationem et tanti ponderis negotia frigide ac perfunctorie pertractare.

§ 4.

Qua reverentia celebrandum sit.

Duplex est reverentia, interna et externa. Interna in timore et tremore, in humilitate et compunctione cordis consistit. Ad externam pertinent totius hominis compositio et gravitas omniumque cæremoniarum ac præscriptorum rituum observantia.

Quanta vero cura adhibenda sit, ut hoc augustissimum sacrificium omni veneratione ac reverentia celebretur, facile intelliget sacerdos, si ex una parte consideraverit, nullum opus sanctius ac divinius a Christi cultoribus tractari posse quam hoc ipsum tremendum mysterium: ex altera vero perpendat maledictum vocari in sacris Litteris, qui facit opus Dei negligenter. Quod si regem allo-

cuturus magno metu stat coram illo nec audet oculos ab eo divertere: quanto majore trepidatione, humilitate ac sollicitudine in conspectu divinæ majestatis adstare oportet tota mente in ipsum Deum intenta, qui non solum externum aspectum, sed intima etiam animi penetralia intuetur? Quid turpius et pœna dignius, quam quod peccator sacro altari irreverenter assistat, ubi Sancti metuunt, pavent Angeli, tremunt Potestates et supremi spiritus faciem suam velant præ verecundia et confusione? Accedit nox ad Lucem, infirmus ad Omnipotentem, servus ad Dominum, creatura ad Creatorem, et non formidat, non contremiscit?

Proderit etiam ad excitandum reverentiæ affectum consideratio gaudii, quod S. Trinitas et omnes cælites ex devota et reverenti Missæ celebratione percipiunt, tum quia id sacrificium testamenti loco a Christo relictum est in pignus amoris, quo suos in finem dilexit: tum quia est mortis illius commemoratio, qua intercedente peccata nostra deleta sunt, homines redempti, Sancti salvati et nos, qui vivimus, innumeris beneficiis cumulamur. Cavendum ergo, ne quid sacrificans admittat, quod istam minuat lætitiam Dei et Sanctorum, quæ ex hujus sacrificii suavissimo odore promanat. Ad eamdem

denique reverentiam comparandam debet sacerdos sollerter præmeditari, quam sapienter et exacte s. Ecclesia divinitus edocta totius sacrificii ordinem, modum et apparatum præscripserit et instituerit.

Nam primo culpas veniam precando confitetur: tum Deum laudat et adorat eique de acceptis beneficiis gratias agit: opem divinam sibi et aliis implorat nec ullum officii genus prætermittit, quod possint mortales sancte cum Deo exercere. Jungit autem cum his externam conformationem habitumque corporis maxime decentem et religiosum, vel stat vel flectit genua, aperto semper capite, manibus modo junctis, modo protensis et in cælum sublatis, quæ omnia aptissima sunt ad reverentiam in ipso celebrante et in adstantibus conciliandam. Nec quocumque modo, sed præstantissimo Deum alloquitur: secreto enim loquitur et veluti ad aurem, sicut amicus cum amico. Loquitur non suo, sed totius Ecclesiæ nomine; et a Deo auditur, tamquam gerens personam publicam, nulla habita sui ratione, sive bonus sive malus sit. Loquitur in publica celebritate coram universa cæli curia et hominibus qui adstant: atque ideo in sollemni confessione, quæ Missæ præmittitur, et Sanctos et populum appellat, et

in Præfatione Deum precatur, ut voces suas cum Angelorum vocibus admitti jubeat. Loquitur cum Christo Domino, qui in sacramento præsens est, ejusque preces simul cum ipso æterno Patri præsentat. Verba tandem, quæ loquitur, non ipse suo ingenio composuit; sed vel a Christo tradita sunt, vel in sacris Litteris a Spiritu Sancto dictata, vel sanctorum Patrum et Conciliorum auctoritate approbata: quare nihil proferre potest, quod non sit Deo gratissimum et summe acceptum. Totis itaque viribus conari debet, ut tam sanctum ministerium quam maxima fieri potest reverentia et sanctitate exsequatur et depositis terræ sordibus angelica puritate elucescat.

§ 5.

Aliæ considerationes ad pios affectus in celebrante excitandos.

Vix fieri poterit, ut non attente, devote et reverenter celebres, quisquis es Christi sacerdos, si fide viva hanc veritatem perceperis et intimo sensu apprehenderis, te ipsum Christum offerre, unigenitum Dei Filium, Salvatorem et Judicem tuum. Sed huic veritati magnum momentum ex hoc accedit, quod perfectiorem Christi humanitatem nunc in Missa

Deo offers, quam ipse obtulerit in ultima Cena. Nam primo Christus mortalem obtulit, tu immortalem: ille passibilem, tu impassibilem. — Secundo nunc eadem offertur cum plena pro nobis satisfactione, omnia siquidem ipsius merita ejusdem morte completa sunt. — Tertio quia humanitas Christi, etsi a principio sanctificata fuit in unione hypostatica, cum tamen in passione oblata est Deo, novam acquisivit sanctificationem, ut hostia scilicet tunc actualiter exhibita, et nunc offertur in Missa hac nova sanctificatione exornata. Adde, quod Christus mirabiliori modo in sacramento exsistit quam in cælo. Totum enim ejus corpus in totis speciebus est, et totum in qualibet minima earum parte, sine quantitate coëxtensa ad locum; ita ut ejus præsentia nequidem a supremis spiritibus per principia naturalia naturaliter videri possit. Sunt et alia innumera mirabilia, quæ satius est venerari quam enarrare. Nam, ut reliqua prætermittam, quis digne poterit explicare vel saltem animo concipere, quam magnum beneficium sit, quod mediante hoc sacrificio cælum in terris quadam anticipatione possident homines, dum ante oculos habent manibusque contrectant ipsum cæli et terræ conditorem? Hoc sedulo contemplare et eru-

besce, quod adeo tepide et irreverenter hæc tremenda mysteria audeas celebrare.

Extende cogitationem tuam per universum mundum, quam male ubique Deo serviant homines, quot peccata committant; quam pauci sint religiosi, qui perfectioni sedulo incumbant; quam multi, qui in rebus vanis et otiosis jugiter occupati vix umquam de Deo cogitant et loquuntur. Ideo tactus dolore cordis intrinsecus ardorem et affectum vehementissimum in te excita erga Dominum Deum, quem plerique mortalium vel non agnoscunt vel spernunt. Tum sacrificium ea devotione offerre satagas, ut Dominus, si fieri possit, ejus suavitate, quam habet etiam ex opere operantis, quodammodo recreatus eorum omnium obliviscatur, quæ contra sanctissimam ipsius voluntatem ab hominibus perpetrantur. Ex altera vero parte in cælum animo ascende et considera, quanto fervore cælites universi Deum ament et quam suavi harmonia ipsius laudes uno ore decantent. Junge te illis et similes elice amoris ac laudum affectus; sed cave, ne vocis tuæ ac morum cacophonia beatorum dulcissime concinentium concentum perturbes.

Cum hoc sacrificium Christi passionem et mortem repræsentet, veluti quædam imago et actio tragica est, non

verbalis, quales sunt poëtarum tragœdiæ, sed realis et substantialis, exprimens incruente passionem illam et mortem cruentam, ex qua omnia bona tua et aliorum omnesque thesauri divinæ gratiæ profluxerunt. Sollerter itaque adverte, quam fervida devotione tanti boni repræsentatio a te fieri debeat. Sunt spectatores hujus tragœdiæ Ss. Trinitas, humanitas Christi in cælo, Angeli et animæ beatæ: cave, ne quid ineptum vel indecens in te appareat, quod Dei ac cælestium civium purissimos oculos possit offendere. Id vero assequeris, si perpetuam in te ipso corporis afflictionem et passionum mortificationem expresseris vivamque memoriam in te conservaveris acerbissimorum Christi cruciatuum, quos hoc sacrificio commemoras et repræsentas, et eosdem aliis proposueris morum ac vitæ severitate.

Caput 4.

De his, quæ Missæ celebrationem proxime antecedunt.

§ 1.

De necessitate præparationis.

Ante orationem, ait Sapiens, *præpara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Quod si Deum

tentare atque ad iracundiam provocare dicitur, qui ipsum audet in oratione interpellare non præmissa diligenti et accurata præparatione: quanto magis eumdem sua temeritate et audacia irritabit, qui Unigenitum suum illi offerre ipsumque suscipere imparatus præsumet? Et si rex aut princeps magnæ potentiæ tibi, o sacerdos, significasset, ut illi hospitium crastina die parares: quanta sollicitudine expurgare domum et ornare satageres totam etiam noctem ducens insomnem, ne quid ille veniens incompositum et indecorum reperiret? Nunc vero Rex regum et Dominus dominantium mandat tibi per Prophetam dicens: *Præparare, Israël, in occursum Dei tui,* quia ecce ego veniam, et manebo in medio tui. Vide ergo et considera, quanta diligentia thalami tui tergere sordes debeas, quali apparatu ipsum ornare, quo dignus fias a tanto hospite visitari. Talem se Deus exhibebit animæ tuæ, qualem se illa præparaverit ei: quantumque tu apposueris ad diligentiam, tantum ille adjiciet ad gratiam. Vetus parœmia est: *Adoraturi sedeant,* qua paratum purgatumque animum ad Deum afferre monemur. Quidam etiam ethnicus ait: *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet:* in singulis enim actionibus id in primis cu-

randum est, ut recte ordiamur. Omnium autem optima præparatio et magis necessaria illa est, quæ in puritate et sanctitate vitæ consistit: cum, quidquid agis, quidquid cogitas, quidquid moliris, ad hunc scopum refers, ut vivas vita divina teque dignum reddas hoc cælesti convivio. Sicut enim fructus frequentis celebrationis in hoc præcipue attenditur, ut quotidie crescas in humilitate, patientia, mundi contemptu et caritate: ita vera præparatio in hoc sita est, ut quotidie aliquid vitii deponas, aliquid virtutis acquiras, donec possis cum Apostolo dicere: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Et illis quidem, qui Deo jugiter adhærentes mentem habent rebus divinis exercitatam, non erit difficile sanctioris vitæ incremento se ad digne celebrandum recte disponere: aliis vero, quorum major numerus est, qui minus idonei sunt ad animum sursum erigendum, varia sancti Patres documenta præscribunt, quibus adjuti ad Deum accedant tali cura et dispositione, quæ tanto mysterio digna sit. Quædam ex his jam supra a nobis tradita sunt, alia infra explicabuntur.

§ 2.

De præmittenda confessione sacramentali.

Formidabilis est et non sine horrore audienda Apostoli comminatio dicentis: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.* Quare celebrare volenti revocandum est in memoriam ejusdem præceptum: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Et quidem probatio omnino necessaria est, ut nullus sibi conscius mortiferæ labis ad sacrificandum præsumat accedere, non præmissa sacramentali confessione, quantumvis sibi contritus videatur; alioquin panem vitæ in mortem et condemnationem accipiet. Ut vero ex hoc divino convivio, quod sanctis animabus inexplicabiles præbet delicias, mens abundantius reficiatur, non solum a mortalibus, sed etiam a venialibus culpis et ab omni terreno affectu eam expurgare oportet et puram ac vacuam Deo exhibere gratiæ suæ donis implendam et exornandam. Hac de causa boni sacerdotes, quos te imitari par est, vel quotidie vel alternis diebus vel bis

saltem in hebdomada animo vere contrito ad confessionem solent accedere, omnesque malorum radices evellere conantur atque omnem vel levissimam maculam abstergere. Quod si nihil sacramento pœnitentiæ expiandum occurrat, intensum nihilominus contritionis actum de totius vitæ delictis elicere non omittes, quia cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.

In ipsa autem confessione vitanda prolixitas et nimia diligentia in levioribus culpis recensendis; satius enim est intime de iis dolere et per devotam cordis ad Deum conversionem eas expiare, quam in iis ad instar historiæ sine proposito emendationis, sicut ut plurimum contingit, enarrandis immorari. An vero expediat, quotidianas imperfectiones in confessione explicare, ut status pœnitentis notior sit confessario, non est una magistrorum spiritualium sententia; tutior tamen et communior est oportere eas extra sacramentum manifestare. Cavendus item multorum error, qui se prolixe de iis accusant, quæ peccata non sunt, ut de pravis habitibus et passionibus et de circumstantiis impertinentibus; quod sint superbi, iracundi et proni ad malum; quod Deum non amaverint ex tota cordis intensione, et alia ejusdem generis multa,

de quibus et aliis ad confessionem pertinentibus suadeo, ut omnino legatur tractatus S. Bonaventuræ de modo confitendi et puritate conscientiæ.

Confessioni autem duplex præparatio præmittenda: remota et proxima. Remota in hoc consistit, ut per vigilem cordis custodiam, profundam tui cognitionem et exactam discussionem eam comparare studeas conscientiæ teneritudinem et puritatem, quæ commissos defectus statim sentiat et fideliter memoriæ suggerat. Deinde assuesces actum contritionis frequentare et quotidianum examen sic instituere, ac si statim confiteri deberes. Proxima aliquot actus complectitur: nam primo gratiam efficacem petere debes omnia peccata agnoscendi, detestandi et emendandi; tum in memoriam revocanda, quæcumque ab ultima confessione commissa sunt; demum de singulis actum doloris elicies cum firmo constantique proposito ab his deinceps abstinendi et satisfaciendi. Quod si peccata leviora sint, quia omnia corrigere propter humanam fragilitatem difficile est, propones saltem et conaberis, quoties ad confessionem accedis, aliquid ex his deponere, in quod frequentius labi soles.

§ 3.
Modus confitendi.

Quandoquidem hujus sacramenti pars essentialis eaque præcipua est dolor et contritio ob admissa facinora, huic maxime insistes præmissa brevi consideratione alicujus motivi ejusdem contritionis, qualia hæc sunt: 1. Gravitas peccatorum, quibus offenditur Deus, cujus bonitas infinita nec levissime quidem lædenda foret etiam ob salutem totius mundi. 2. Atrocissima damna, quæ tam in ista, quam in altera vita ex peccato oriuntur. 3. Inscrutabilitas judiciorum Dei sæpe ingratos deserentis et tepidos evomentis. 4. Brevitas et incertitudo temporis gratiæ, quo potest offensa Dei expiari. 5. Memoria æternitatis ejusque interminabilis durationis. 6. Inæstimabilis dignatio Dei, qui tanta passus est, ut te a peccatis liberaret. 7. Magnitudo beneficiorum tibi a Domino collatorum, pro quibus turpissimum est non te gratum bene vivendo exhibere. 8. Sublimitas æterni præmii et facilitas mediorum ad illud acquirendum. 9. Infinita amabilitas Dei infinito obsequio propter se dignissimi, quia ipse est summum bonum, qui te amore incomprehensibili prosequitur.

Hæc motiva si attente consideraveris, facile poteris summam in te contritionem excitare. Sic autem dispositus ad pedes confessarii accedes quasi ad lavacrum Sanguinis Jesu Christi, in quo te ab omnibus inquinamentis tuis dealbandum fore confides. Duos ibi sacerdotes adesse putabis, visibilem unum, alterum invisibilem, qui penetralia cordis intuetur. Ideo humillime, quasi filius prodigus resipiscens, benedictionem petes et gratiam bene confitendi; præmissaque generali confessione, actum contritionis renovabis. Tum magna interiori et exteriori reverentia, quanta judici solet a reo exhiberi, peccata tua sacerdoti, qui Christum Judicem repræsentat, confiteberis nude, sincere, humiliter, non ex habitu et consuetudine, plorans coram Deo flagitia tua cum rubore et confusione. Dum vero sacerdos profert verba absolutionis, iterum actum contritionis elicies, teque a Christo ceu filium prodigum osculo excipi, nova stola ornari, amplexu constringi putabis additis ab eodem illis verbis: *Remissa sunt tibi peccata tua, jam amplius noli peccare.* Quare gratias ei ages dicens cum Propheta: *Nunc cœpi,* et incipies ab illa hora vitam sanctius instituere.

Post confessionem id, quod impositum tibi fuerit pro satisfactione, statim

persolves Deoque offeres in unione passionis Christi et satisfactionum omnium Sanctorum. Deinde examinabis, an vera fuerit contritio elicita, an intima cordis penetraverit, an diligentem discussionem præmiseris, an culparum gravitatem agnoscas, an aliquid prætermiseris, an tibi ex ignavia ignoscas, an teipsum arguas et ad serio pœnitendum impellas.

§ 4.

Oratio ante confessionem, et actus contritionis.

Ad te, piissime Jesu, refugium meum et consolatio mea, ad te mærens et tristis venio recogitans tibi annos meos et delicta mea in amaritudine animæ meæ. Ad te verba doloris effundo, misericordiam tuam implorans, ut facias opus tuum, quod est misereri et parcere, tollens peccata mea, quæ sunt maxima miseria mea. Ne despicias voces et singultus ovis perditæ et filii prodigi ad tuam pietatem redeuntis de regione longinqua: non enim lætaris in perditione morientium, qui, ut ego non morerer, mortem subire dignatus es. Vermis terræ retribui tibi mala pro bonis: et heu quot mala et quam gravia peccata pro tantis et tam eximiis bonis! Et tamen loqueris ad spon-

sam tuam prævaricatricem animam meam, postquam fornicata est cum amatoribus multis, ut revertatur ad te, et suscipies eam, quia misericordia tua super omnia opera tua; et major est bonitas tua, quam iniquitas mea.

Surgo igitur et venio ad te corde contrito et humiliato; venio, ut laver, o fons æternæ vitæ, ad quem sitio sicut cervus ad fontes aquarum; venio, ut illuminer, o lux mea, et amem te et confitear adversum me injustitiam meam. Emitte lucem tuam et veritatem tuam et illumina mentem meam, ut omnia mala mea quæ commisi, et bona quæ omisi, distincte cognoscam et integre confitear; nec me permittas computrescere in sordibus meis, tu qui omnium misereris et nihil odisti eorum, quæ fecisti. Fac me assueta mala relinquere et tibi placitis operibus occupari, ut, ubi abundavit delictum, tua gratia superabundet: et sicut fuit sensus meus, ut errarem a te, decies tantum iterum conversus requiram te.

Doleo, benignissime Jesu, de omnibus et singulis peccatis meis eaque detestor super omnia mala, non solum arido et imperfecto corde meo, sed corde etiam et affectu omnium vere pœnitentium, ex gratuito tui amore, quia Deus es infinito amore dignissimus, firmiterque propono

quælibet potius subire mala, quam iterum peccato consentire. Exactissime item confiteri volo tibique et proximo integre satisfacere atque omnes peccandi occasiones deinceps evitare. Quidquid vero mihi deest, suppleat mors tua, Sanguis tuus et superabundantia merita tua, quibus fretus veniam obtinere spero et gratiam mores meos corrigendi et in bono usque ad finem perseverandi. Et nunc, Domine, qui dedisti mihi cognoscere flagitia mea, perfice contritionem meam et perduc ad finem satisfactionem meam. Ure me igne amoris tui et separa a me, quidquid displicet majestati tuæ. Purifica omne, quod tibi placet in me, ut in te vivam, non in me; et in te moriar ac propter te, Salvator meus. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

§ 5.

Oratio post Confessionem.

Gratias ago tibi, Domine, pater et dux vitæ meæ, quia non secundum peccata mea fecisti mihi, sed superexaltasti misericordiam judicio et projecisti in profundum maris omnia delicta mea. Atque utinam possem tantam in me contritionem excitare, quantam habuerunt pro peccatis suis sanctus Propheta David, vir secun-

dum cor tuum, S. Petrus, princeps Apostolorum, ac reliqui pœnitentes; quam libenter totus in lacrimas diffluerem, donec lavarentur iniquitates meæ, et ostenderes mihi placatum vultum tuum! Sed facta est anima mea sicut terra sine aqua tibi, et aruit sicut testa virtus mea; cumque omni virtute destitutus sim, hoc solum habeo residui, ut oculos meos extollam ad Redemptorem meum ejusque lacrimas offeram tibi, quas ille pro me uberrime effudit, ut iis placatus aperias mihi januas misericordiæ tuæ et suscipias me servum fugitivum venientem ad te et ab inimicis fugientem.

Respice in me et miserere mei, Domine patiens et misericors, loquere ad petram cordis mei et percute virga virtutis tuæ, ut fluant aquæ compunctionis, aquæ salutares, quibus sanabitur et dealbabitur anima mea. Confirma hoc, quod operatus es in me, tibique grata et accepta sit confessio mea, atque omnem ejus defectum suppleat pietas et misericordia tua. Misericordiam tuam imploro et veniam postulo cum inviolabili proposito deinceps non peccandi et studio virtutum sedulo incumbendi, te mihi vires subministrante, qui non deseris sperantes in te. Ne patiaris me diutius vagari post vanitatem vitæ hujus; transeunt enim

dies et dies, anni et anni, et ecce nihil proficio. Convertere ergo et deprecabilis esto super me indignissimum servum tuum et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum; nam si ego commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti, unde me salves et recipias in gratiam tuam, Deus meus, adjutor meus. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

§ 6.

Directio intentionis ante Missam.

Deus cæli et terræ, infinite amabilis et omnium bonorum fons indeficiens, ego N. omnium notarum miserrimus peccator et Ecclesiæ tuæ minister indignissimus, ante thronum gloriæ tuæ humi provolutus, quam maximo possum amoris, reverentiæ et devotionis affectu, volo et intendo hodie sacrosanctum Missæ sacrificium altissimæ majestati tuæ, cui soli debetur, juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ offerre, et ex nunc offero una cum omnibus sacrificiis tibi placitis, quotquot a principio mundi oblata sunt et usque ad finem offerentur: simulque pretium Sanguinis et cunctos labores ac cruciatus Redemptoris nostri; omnia merita sanctissimæ et immaculatæ Genetricis ejus; omnium Sanc-

torum virtutes totiusque militantis Ecclesiæ laudes et preces; in unione illius admirabilis sacrificii, quod idem Unigenitus tuus in ultima cena instituit et in cruce consummavit, factus sacerdos suæ victimæ et victima sui sacerdotii; affectu ac nomine ejusdem totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ et omnium mecum quocumque modo offerentium; ex puro tui amore ac desiderio tui beneplaciti semper et in omnibus perficiendi; ad tuam maximam laudem, et cultum et gloriam; in protestationem supremæ tuæ excellentiæ, dominii tui in omnes creaturas, et nostræ subjectionis et dependentiæ a te; in cultum latriæ tibi soli debitum, simul cum adorationibus tibi gratissimis ejusdem Christi Filii tui, B. Virginis omniumque Angelorum et Sanctorum; in memoriam vitæ, passionis et mortis præfati Domini nostri, et in obedientiam ejusdem mandati, quo præcepit, ut idem in ejus commemorationem faceremus; ad honorem et augmentum gloriæ Deiparæ Virginis omniumque Angelorum et Sanctorum, eorum præsertim, quorum hodie festivitas celebratur; in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, quæ mihi indignissimo peccatori cunctisque hominibus et omni creaturæ conferre dignatus es; in propitiationem et satisfactionem pro

peccatis totius mundi, et pro meis specialiter, de quibus doleo, quæque detestor et abominor super omne detestabile, quia tibi maximopere displicent, cum firmo proposito emendationis.

Et quia hoc sacrificium vim impetratoriam infinitam habet, offero illud pro meis et omnium viventium ac defunctorum necessitatibus. Et primo quidem fructum, quem possum et debeo, illi principaliter applico, pro quo celebrare intendo; et si forte contingat eum non indigere vel non esse capacem, opto et volo hunc fructum ad N. derivari, cum applicatione indulgentiarum mihi vel tali defuncto. Secundario autem, sine ejus præjudicio, pro quo offerre primario teneor vel intendo, offero pro omnibus mihi peculiariter commendatis, pro N. et N., pro tali gratia obtinenda, et pro cunctis viventibus atque defunctis, pro quibus me indignum famulum tuum legatione apud te fungi voluisti, ut defunctis requiem indulgeas vivisque gratiam concedas tibi serviendi et in amore tuo usque in finem perseverandi. Amen.

§ 7.

Deprecatio pro omnium necessitatibus.

Memento, Domine, per viscera misericordiæ tuæ, per merita Filii tui, quem

pro nobis oblatum nunc denuo offero, per merita B. Virginis et omnium Sanctorum, memento Ecclesiæ tuæ, sponsæ tuæ, auge in ea puritatem fidei et munditiem sanctitatis, et labore virorum apostolicorum dilata eam toto orbe terrarum. Conserva eam quietam et tranquillam, et portæ inferi non prævaleant adversus eam. Hostium ejus elide superbiam, et gentes a fide alienas veritatis tuæ splendore collustra, ne pereant tot imagines tuæ, pro quibus pretiosus Filii tui Sanguis effusus est.

Da Summo Pontifici nostro N. cor docile; da Spiritus Sancti abundantiam, ut populo sibi commisso verbo et exemplo præluceat. Intende oculos pietatis tuæ in universos Ecclesiæ præsules et pastores, et fac eos super gregem sibi commissum fideliter excubare. Adesto parochis et presbyteris et omni clero, ut nulli præbeant scandali occasionem, diligant puritatem et ea sequantur, quæ pacis sunt. Esto propitius omnibus religiosis, quos separasti tibi in hereditatem de universis populis terræ; da illis continuum in virtute profectum, votorumque ac regularum exactissimam observantiam. Da huic domui bonorum temporalium sufficientiam, et spiritum excita in prælatis nostris et in cunctis fer-

vorem accende. Suscita in Ecclesia tua strenuos operarios, qui eam verbo fideliter pascant et exemplo confirment. Da eis rectam mentis intentionem, zeli sinceritatem, contemptum sui, animi robur, virtutis constantiam.

Effunde miserationes tuas, Domine, Princeps regum terræ, in omnes reges et catholicos principes eisque tribue in obedientia fidei et Ecclesiæ perseverantem famulatum, subditorum curam, justitiæ zelum, mutuam pacem et observantiam mandatorum tuorum. Tuum etiam auxilium cunctis magistratibus præbe, ut pacata gubernatione subjectos regant, te in omnibus judiciis suis timeant tibique jugiter placere contendant.

Da omni statui Ecclesiæ abundantiam gratiæ tuæ, ut unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, tibi digne et laudabiliter famuletur. Da virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, conjugatis sanctimoniam, pœnitentibus indulgentiam, viduis et orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinantibus reditum, navigantibus portum, justis perseverantiam, bonis ut meliores fiant, tepidis ut fervescant, malis et peccatoribus, qualem me dolens esse confiteor, ut convertantur. Conserva cælum in salubritate, terram in fertilitate, fructus

in maturitate, mundum in providentia omni ex parte sufficienti. Respice omnes ægrotos, afflictos, tentatos, agonizantes et in aliquo periculo vel necessitate constitutos, et da illis auxilium, remedium, consolationem, prout expedit ad gloriam tuam et illorum salutem.

Supplex item oro te, benignissime Deus, pro omnibus inimicis meis, quos intime diligo, pro iis, qui me offenderunt, vel quos ego offendi aut scandalizavi, ut eis in omnibus benefacias et pectora eorum sancto igne tuæ caritatis succendas. Miserere omnium, pro quibus orare debeo, vel qui se commendaverunt indignis orationibus meis, omnium præcipue consanguineorum, affinium, amicorum et benefactorum meorum N. et N. Exaudi preces et vota ipsorum et subveni eorumdem ad te clamantium necessitatibus. Oro te quoque pro tali re et negotio N. N., ut felicem exitum sortiatur, si saluti nostræ profuturum esse cognoscis. Memento etiam, Domine, Rex æterne, cui omnia vivunt, animarum omnium fidelium defunctorum, præsertim N. et N., super quas invocatum est nomen tuum. Exstingue earum ardorem optato rore misericordiæ tuæ et cito purgatas in conspectu tuo admitte.

Pro meipso tandem infelicissimo peccatore clementiam tuam humillime imploro, ut per virtutem hujus sacrificii universa peccata mea dimittas mihi, quæ multiplicata sunt super numerum arenæ maris. Audi Sanguinem Filii tui altius clamantem quam sanguis Abel, et in virtute hujus oblationis miserere servi tui secundum magnam misericordiam tuam. Dirige me in via tua et doce me facere voluntatem tuam. Auge in me fidem, spem, caritatem et reliquas virtutes statui meo necessarias. Da terrena despicere et amare cælestia. Posside me jugiter secundum beneplacitum tuum, ut te in omnibus et ubique inveniam, donec per felicem mortem ad te merear pervenire. Amen.

§ 8.

Specialis oblatio sacrificii, quatenus est latreuticum.

Sancta Trinitas unus Deus, rerum omnium principium et finis, cujus potentia, sapientia, bonitas et magnitudo incomprehensibilis est, toto corde et corpore prostratus adoro te tibique hodie sacrificium offerre intendo Corporis et Sanguinis Domini mei Jesu Christi pure propter te, ad majorem tui gloriam, in protestationem supremi dominii tui in omnes

creaturas et nostræ subjectionis ac omnimodæ dependentiæ a te; in recognitionem infinitæ tuæ perfectionis, beatitudinis et gloriæ omniumque operum tuorum, quæ summopere gaudeo a nulla creatura digne posse æstimari, nisi a te, Pater omnipotens, æterne Deus, et ab Unigenito tuo Salvatore nostro, qui tecum et cum Spiritu Sancto unus est Deus, unus est Dominus, quem ideo tibi in sacrificium laudis offero tua infinita majestate dignissimum, in cultum latriæ tibi soli debitum, cum omnibus obsequiis, laudibus et adorationibus, quibus te olim glorificavit in terris, una cum meritis, laudibus et adorationibus beatissimæ Virginis Mariæ omniumque Angelorum et Sanctorum.

Quis enim ego sum vermiculus terræ et opprobrium hominum, ut audeam faciem meam levare ad te et aspicere altitudinem cæli? Christi igitur Filii tui et omnium electorum meritis onustus accedo ad te, eorumque nomine et affectu abjicio me corpore et spiritu ante thronum divinitatis tuæ, ut intelligat universus orbis, me esse opus manuum tuarum et tamquam nihilum ante te. O quam gratum et jucundum mihi foret, per omnes undique regiones omnes homines videre in genua provolutos te adorare! Sed

quia plerique te non cognoscunt vel cognitum non venerantur, pro his quoque te adoro teque humillime deprecor, ut hanc oblationem Filii tui suscipere digneris in supplementum peccatorum et blasphemiarum, quibus perditi mortales te offendunt sive in terra sive in inferno. Tibi gloria in sæcula. Amen.

§ 9.

Oblatio sacrificii, quatenus est eucharisticum.

Gratias ago tibi, Domine Deus, omnium bonorum fons et origo, pro maximis et innumerabilibus beneficiis tuis, pro quibus omnibus et singulis infinita tibi et interminabilis gratiarum actio singulis momentis temporis et æternitatis deberetur; sed quia minor sum sine ulla comparatione minimo beneficiorum tuorum, nec ulla creatura reperiri potest, quæ tuæ inexhaustæ bonitati dignas valeat referre gratias, unigenitum Filium tuum, tibi unice dilectum, divinæ majestati tuæ in sacrificium eucharisticum humillime offero una cum omnibus obsequiis, laudibus et gratiarum actionibus ipsius ac beatissimæ Matris ejus omniumque Sanctorum et electorum tuorum.

Specialiter autem gratias tibi hoc sacrificio persolvere intendo ex totis præcordiis meis propter magnam gloriam tuam proque omni gaudio, quod tu teipso beatus intra te percipis perenni et interminabili fruitione ex æterna generatione Filii tui, et a te atque ab eo processione Spiritus Sancti, et ex perfectionibus tuis, quarum non est numerus, et quas nemo comprehendere potest. — Pro omnibus item misericordiis et mirabilibus tuis, quæ per Filium tuum extra te operatus es et semper operaberis. Pro ejusdem incarnatione et pro inexhaustis sapientiæ, scientiæ, meritorum et gloriæ thesauris, quos in sanctissima ejus humanitate abscondisti, proque illa singulari pietate, qua eum mihi in patrem ac doctorem, in ducem ac redemptorem concessisti; et pro omni fructu vitæ, passionis et mortis ejus. — Pro immensis gratiarum opibus, quas beatissimæ ejusdem Genitrici Virgini Mariæ contulisti, quam mihi quoque in parentem, advocatam et protectricem largiri dignatus es; pro ejus electione, immaculata conceptione, admirabili maternitate, gloriosa in cælum assumptione, omnique gratia et gloria, qua illam in terra et in cælo honorificasti, et pro omnibus beneficiis, quæ ipsa intercedente toti terrarum orbi ejusque devotis clien-

tibus contulisti et conferes in perpetuum. — Pro innumerabilibus Angelorum exercitibus, quorum numerum tu solus nosti, qui eos creasti prærogativis singularibus exornatos ad tui gloriam et nostrum subsidium. — Pro eximiis donis, quibus Sanctos et electos tuos cumulasti, illos præsertim, quos hodie S. Ecclesia veneratur, quorum meritis et doctrina ipsam Ecclesiam ædificasti, hæreses et schismata contrivisti et omnes fideles illuminasti. — Pro maximo gratiarum munere, quibus eos reples, quos ad apicem perfectionis efficaciter trahis et ad dulcissimam familiaritatem tuam admittis, pro inexplicabili patientia, qua peccatores toleras, ad te invitas et auxilia illis necessaria suppeditas, ut convertantur. Pro singulis beneficiis, quæ omnibus viatoribus, amicis et inimicis meis, fidelibus et infidelibus cunctisque creaturis sensibilibus et insensibilibus contulisti. Pro gratiis gratis datis ad Ecclesiæ utilitatem, quas licet non omnes singulis dederis, dedisti tamen, ut sint in omnibus, ut, quod singuli in se non habent, in aliis habeant; Spiritus enim tuus dividit singulis, prout vult.

Pro infinito amore, quo me prosecutus es, eligens me ante mundi constitutionem, ut sim sanctus et immaculatus in

conspectu tuo; quodque tempore præfinito ex abysso nihili eduxeris me et nasci feceris in Ecclesia tua, extra quam non est salus; quod me dono tuæ gratiæ per baptisma ditaveris et animam meam præclarissimis virtutum habitibus exornaveris; quod perpetuo astitisti mihi, conservans me et præservans a multis periculis et adversitatibus admirabili tua providentia; quod Angelum ad mei custodiam deputaveris, qui perpetuus cogitationum et operationum mearum inspector est, dirigens me occultis inspirationibus ad salutem. Pro maxima misericordia, qua me redemptum pretioso Sauguine Filii tui e sæculo nequam eripuisti et, cum in peccatis jacerem, excitasti illustratione tua et vocasti in admirabile lumen tuum in locum sanctificationis, dissimulans peccata mea propter pœnitentiam. Pro sublimissima sacerdotii dignitate, ad quam me prorsus immerentem evexisti, et pro multis præclarissimis donis naturæ et gratiæ, quæ mihi singulariter contulisti; quod mihi tot media ad salutem, totque virtutis instrumenta suppeditaveris; quod toties me custodieris, ne peccarem, occasiones subtrahens et pravas sanans affectiones; quod, cum aliquando me tentari permisisti, vim tamen et fortitudinem resistendi misericorditer

tribuere dignatus sis, præveniens me in miserationibus tuis; quod victum et vestitum et alia necessaria ad decentiam status mihi copiose præbueris; quodque omnia propter me regere et conservare non desinas; quod, ut validius me traheres ad te, aliquot mihi corporales ægritudines, angustias animi et adversitates immisisti, ac mirabili vicissitudine consolationum et desolationum erudiens me, ne in prosperis extollar, aut in adversis deficiam; quod per viam mandatorum tuorum deduxeris me, dans scire, velle et operari, quod bonum est, ut per bona opera certam faciens te adjuvante vocationem meam, præparata electis tuis gloria perfruar in æternum.

Hæc et alia multa fecisti mihi, Domine Deus meus, vita et dulcedo animæ meæ, de quibus optabile mihi foret semper loqui, semper cogitare, semper tibi gratias agere, sed imperfectum meum viderunt oculi tui. Quis enim ego sum filius iræ et abyssus tenebrosa, ut tantis beneficiis par esse possim? Calicem igitur salutaris accipiam et hoc tibi sacrificium pro me et omnibus immolabo, ut de perceptis hac dignissima victima gratias exhibentes beneficia potiora sumamus. Amen.

§ 10.

Oblatio sacrificii, quatenus est propitiatorium.

Procido coram te, Domine, cum tremore et rubore, gravissima onustus flagitiorum meorum sarcina, nec mea solum, sed et totius populi peccata coram te porto, quia me pro omnibus legatione fungi jussisti, ut, quod illi pro se non possunt, ipse tamquam mediator merear impetrare. Sed qua fiducia pro culpis alienis intercessor veniam, servus nequissimus, innumerabilium scelerum reus, qui pro tot beneficiis a te susceptis gravissimas tibi injurias et offensas retribui, bonitatem tuam contemnens et justitiam vilipendens? Iniquitates meæ diviserunt inter me et te, et peccata mea absconderunt faciem tuam, ne exaudires.

Verumtamen ecce revertor ad te dolens et mærens, quod offenderim te, et quia nullum exstat pretium, quo infinitæ bonitati tuæ offensæ condigne satisfacere valeamus, nisi pretium Sanguinis dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, ipsum tibi offero hostiam placationis sufficientissimam pro meis ac totius mundi peccatis, ut mihi et N. N. atque omnibus peccatoribus veram contritionem concedas meque et illos a reatu pœnarum mi-

sericorditer absolvas per acerbissimam passionem et mortem ejusdem Filii tui, quem semel in cruce oblatum nunc denuo offero. Ibi enim invenio meritorum ejus mare magnum et spatiosum, quo demergantur omnia peccata nostra; ibi infinitum satisfactionum thesaurum, quo omnia debita nostra, remissione obtenta, expungantur. Esto itaque placabilis super multitudinem iniquitatum nostrarum et audi Sanguinem Filii tui clamantem ad te non vindictam, sed veniam et misericordiam. Attende, Domine, et ignosce dolentibus et pœnitentibus. Da gratiam emendationis et in bono perseverantiam: et cantabimus laudes tuas in sæcula sæculorum. Amen.

§ 11.

Oblatio sacrificii, quatenus est impetratorium.

Quia ineffabili tua pietate et misericordia me indignissimum famulum tuum legatione fungi apud te voluisti pro omnibus hominibus vivis et defunctis, offero tibi, clementissime Pater, hoc tremendum sacrificium, quod vim impetratoriam infinitam habet, pro singulorum necessitatibus et indigentiis, ut per passionem et mortem Jesu Christi Salvatoris nostri eorum voces et singultus misericorditer au-

dire et partem aliquam auxilii tui singulis largiri digneris. Attende itaque et exaudi pro singulis deprecantem nec avertas faciem tuam a me propter innumerabilia peccata mea; non enim in justificationibus meis, sed in persona Ecclesiæ tuæ et tibi unice dilecti Filii tui ad te loqui præsumo.

Miserere omnium, quos fecisti, Domine, et reple eos scientia ac fide tua, ut lauderis cum hereditate tua. Da omnibus fidem vivam et ardentissimum in te amorem, et ne claudas ora canentium te. — Effunde misericordiam tuam in gentes, quæ te non noverunt: Turcas, Mauros, idololatras, Judæos, hæreticos, schismaticos, obscura nocte infidelitatis sepultos; vindica eos ab erroribus et illumina corda illorum, ut te cognoscant et Jesum Christum, quem misisti. — Dissipa consilia impiorum, ne quidquam officiant regno tuo et propagationi gloriæ tuæ, et libera fideles tuos e manibus filiorum alienorum.

Sanctifica Ecclesiam tuam, quam plantavit dextera tua; aufer ab ea omnia scandala, dissensiones et schismata, ut tandem aliquando fiat unum ovile et unus pastor. — Da Summo Pontifici nostro cunctisque prælatis, ut oves sibi commissas fideliter pascant fructu orationis, ex-

emplo bonæ conversationis, verbo prædicationis, subsidio caritatis. Sit perpetua in illis oneris sibi impositi consideratio, et sacerdotio fungantur sine reprehensione. — Reforma omnes ecclesiasticos ordines, ut et ipsi luceant coram hominibus, sitque in eis virtutum decus, splendor sanctitatis. — Reduc omnes religiones ad fervorem et perfectionem, in qua fuerunt institutæ; da superioribus zelum disciplinæ, subditis obedientiam, ut professione sua omnes digni inveniantur. — Da prædicatoribus vocem virtutis, ut e cœno peccatorum quamplurimos educant et ad timorem et amorem tuum perducant. — Illumina sapientia tua omnes reges et principes cunctosque magistratus, ut subditis sibi populis justitiam fideliter administrent, pacem diligant, Ecclesiam venerentur, mandata tua custodiant et de hostibus sanctæ fidei te protegente triumphent.

Defende fideles tuos a fame, peste et bello, a persecutionibus, a calumniis, a cunctis periculis et adversitatibus, ab omni necessitate corporali et spirituali, ab omni angustia et calamitate; et illos adjuva, quos affligi et tribulari permisisti, ut omnes sibi misericordiam tuam sentiant adfuisse. Ne sinas eos labi, qui in periculo et occasione peccandi versantur,

eosque conserva, quos gratiæ tuæ pretiosissimo munere locupletasti. — Adesto agonizantibus, ut vera contritione purgati et amore tuo succensi diaboli insidias evadant et a damnatione perpetua liberentur. — Memento tot miserabilium peccatorum, qui in foveam peccati mortalis infeliciter lapsi sine ope tua inde emergere non possunt, et da illis auxilium efficax, ut surgant et resipiscant. — Omnibus item inimicis nostris caritatem et dulcedinem tuam benignus infunde et libera nos a malorum insidiis. Da illis, quos ego offendi aut scandalizavi, veniam peccatorum et veram emendationem. — Omnes autem amicos et benefactores, consanguineos et affines nostros illustra gratia tua, succende amore tuo, ut te solum quærant, te solum diligant omnique tempore opera illorum plena inveniantur in oculis tuis.*) — (Da huic Congregationi, ad quam me vocare dignatus es, bona spiritualia et temporalia nosque et illa administra et dirige, ut cultus tuus et animarum salus hic semper vigeat, crescat et perseveret.) — Custodi omnes mihi commissos et commendatos, et pro quibus orare debeo, præci-

*) Ea, quæ sequuntur uncis inclusa, a non-religiosis omittantur.

pue vero N. et N., rege et salva eos juxta beneplacitum tuum, ut nemo ex illis pereat.

Succurre omnibus, pro quibus me orare tu vis et ego nescio; protege servos tuos omnes, qui te maxime diligunt, quamvis eorum numerum et nomina ignorem; justis autem, tepidis et imperfectis auge fidem, spem, caritatem, auge fervorem, ut ad culmen perfectionis cito perveniant. — Respice benignis oculis animas in purgatorio detentas, illas præsertim, quæ suffragiis nostris magis indigent, et da illis requiem sempiternam.

Mei denique memento, omnium miserrimi et indignissimi, qui gratiæ tuæ auxilio tanto majori præ ceteris egeo, quanto infirmior sum et impotentior. Exstingue in me omnia terrena desideria et ignem tui amoris accende. Dirige me in veritate tua et da finalem perseverantiam per Christum Filium tuum, cui tecum et cum Spiritu Sancto est laus et honor in sæcula sæculorum. Amen.

§ 12.

Actus diversarum virtutum ante Missam.

Fidei.

Quis mihi det, suavissime Jesu, ut sub candido specierum sacramentalium vela-

mine vultum tuum intueri possim, in quem desiderant Angeli prospicere? Quis mihi det, ut pateant mihi fontes saluberrimi quinque vulnerum tuorum, quæ oculis fidei in tuo corpore cerno, fontes aquarum viventium in ablutionem peccatricis animæ meæ? O venæ salientes in vitam æternam! effundite super me aquam gratiæ, quæ sitim meam satiet, ut gaudio repletus et fide viva imbutus exclamem cum Thoma Apostolo: *Deus meus et Dominus meus!* Credo enim firmissima fide, te in augustissimo sacramento Corporis et Sanguinis tui vere præsentem esse Deum meum et Dominum meum; et pro hac assertione millies mori paratus sum. Credo, inquam, quod in hoc sacramento Corpus tuum gloriosissimum vere adest: sole splendidius, electum ex millibus, cum ea integritate, pulchritudine, majestate, qua in cælo exsistit et qua nulla major concipi potest. Ibidem est Sanguis olim pro nostra omniumque salute effusus. Ibi est Anima omni gratia et sapientia plena, in qua sunt omnes thesauri virtutum et scientiæ Dei. Ibi denique latet Divinitas tua, Verbum scilicet omnipotens, per quod Pater dicit omnia; et quia tu in Patre et Pater in te est, adest etiam Pater te, Verbum suum, generans, adest et Spiritus Sanctus

utriusque nexus et amor. Hoc est compendium omnium mirabilium tuorum, hoc summum prodigium omnium creatarum mentium captum excedens, hæc veritas infallibilis, quam te largiente per gladios et ignes profitebor.

Spei.

In te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu, quia tu salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Quomodo enim auderem hoc tremendum sacrificium Deo Patri offerre teque in eo suscipere, nisi fiduciam tu mihi præberes, qui me tuo Sanguine redemisti? De tua igitur benignitate confisus accedo ad te ut ovis morbida ad pastorem, ut infirmus ad medicum, ut reus morti obnoxius ad advocatum: ut tu me foveas, protegas, corrobores et sanes. Abyssus nihili mei abyssum invocat bonitatis tuæ; nam, licet peccata mea plurima et gravissima sint, ea tamen nihil sunt, quamvis plura et graviora forent, si cum misericordia tua et pretio Sanguinis tui conferantur. In ipso reposita et tota fiducia mea, et gaudeo, quod nihil in me sit, in quo possim confidere. Miserere mei et salva me, qui numquam deseris sperantes in te.

Caritatis.

O quanta vis amoris cor tuum succendit, amantissime Jesu, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis! Grande quidem fuit et admirabile opus amoris tui, quod naturam nostram assumere dignatus sis; sed longe præstantius et mirabilius est, quod Corpus tuum in cibum, et Sanguinem in potum reliqueris: in illo siquidem nostram suscepisti humanitatem, in hoc tuam largiris divinitatem. Sic totum thesaurum gratiæ tuæ in nos effudisti, ut immensa hac dilectione præventi amoris vicem tibi rependere totis viribus satagamus. Amo itaque te, unicum meum solatium in hoc exsilio, unica spes languentis animæ, unica mea felicitas et summum bonum, quo in terris frui licet. Amo te toto corde, tota mente, tota virtute, atque utinam omni momento te ferventius semper amarem! Hoc est ardens desiderium meum, huc feruntur gemitus mei et suspiria cordis mei. Ad te enim trahis omnes vires animæ meæ, dum teipsum transfundis in me, dum, quantum fieri potest, me similem tui facis, dum esurientem animam meam non cibo aliquo terreno, sed pretioso Corpore

et Sanguine tuo nutris, satias et saginas. Pro hac tua ineffabili largitate amo te, Deus meus; et ut numquam cessem amare te, amorem meum teipso inflamma, qui esca et pabulum amoris es. O ignis jugiter ardens et numquam deficiens, ure renes meos et cor meum, ut ardeant amore tui! Ignem venisti mittere in terram, accende illum et eventila, ut semper crescat. Te enim amabo, si amandi vires præbueris, et eo amplius amabo, quo uberiorem amandi gratiam infuderis; numquam tamen te amabo, ut dignus es.

Desiderii.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Salvator meus, Domine Jesu; desiderat, inquam, anima mea accedere ad te teque offerre Deo Patri ac de fontibus salvationis tuæ vinum lætificans in gaudio haurire. Sitio enim, Domine, lassatus in via iniquitatis; sitio te Deum meum, venam aquarum viventium; sitio Sanguinem tuum, quem mihi in potum mirabiliter tribuisti. Ad te venio et clamo post te, liberator meus, esuriens et sitiens: *miserere mei, Fili David,* et da mihi panem tuum, da vinum, quod miscuisti, ut refocilletur anima mea. Atque utinam possem omnium Sanctorum affectus et

inflammata desideria habere teque semper sitire, fontem vitæ, fontem sapientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis! Utinam te semper esuriat cor meum, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum; et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ! Renuit consolari anima mea, donec suscipiam te, omne bonum meum, Domine Jesu, quem solum ardentissime concupisco cum omni affectu et devotione omnium electorum tuorum tecum epulantium in mensa tua, quorum divitias offero tibi in supplementum inopiæ meæ. Esto tu solus gaudium meum, tranquillitas mea, refectio mea et thesaurus meus, in quo mens mea quiescat! Nihil desiderem extra te et omnia mihi vilescant præter te, Deus meus, dulcedo mea et unicum centrum cordis mei!

Gratitudinis.

Quis sum ego, bonitas infinita, ut me sacris altaribus adstare volueris tibique offerre de donis tuis sanctum sacrificium, hostiam immaculatam? Unde inveni hanc gratiam in oculis tuis, ut ostenderes in me divitias misericordiæ tuæ? Venite et audite, omnes Angeli et Sancti Dei, et narrabo vobis, quanta fecit Dominus animæ meæ. Nam, cum essem abjectus in domo mea, de pulvere erexit me et con-

stituit me cum principibus populi sui, ut comederem panem et biberem vinum in mensa sua omnibus diebus vitæ meæ. Quas ergo tibi gratias agam, clementissime Jesu, Salvator mundi, aut quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi? Vere enim de te, sponso Ecclesiæ, illud Canticorum intelligitur: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Tu omnia, quæ habes, mihi largitus es, Corpus, Sanguinem, Animam et Divinitatem tuam: et si ego tribuam tibi omnem substantiam domus meæ, corpus, animam et libertatem cum omnibus, quæ nunc habeo vel habere possum, hoc quasi nihilum reputabitur comparatione immensi et inæstimabilis doni tui. Tantum tibi debeo, quantum ipse vales, qui infinitus es; quare debitum meum omnem meam facultatem excedit. Audeo tamen rogare te, quia benignus et misericors es et tu nosti paupertatem meam; audeo rogare te, ne despicias munusculum, quod tibi offero in simplicitate cordis mei dicens cum sponsa: *Dilectus meus mihi et ego illi.* Nam, sicut tu totum te mihi tradidisti in nutrimentum animæ meæ, ita ego me totum servituti tuæ consecro, et quidquid habeo, quidquid sum, quidquid possum,

tibi penitus trado, ut me totum tibi vindices nec quidquam mei mihi patiaris superesse.

Timoris.

Ad mensam convivii tui a te vocatus et invitatus, Domine Jesu, summum bonum meum et felicitas sempiterna, parere quidem vocanti vellem teque amanter et devote suscipere; sed contremisco valde, cum meam intueor fœditatem, contremisco a voce Apostoli tui dicentis: *Si quis manducaverit panem hunc et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Mira enim res est et portento simillima. Pascor cælesti pane, quo saturari possunt infiniti mundi; potor præclarissimo vino, quo ardentissima Angelorum sitis exstinguitur; et fame ac siti aresco; omne cæli gaudium intus fero, et terræ illecebris irretiri non desino, vanaque solatia a creaturis emendico; ad Deum excelsum, fontem omnium bonorum, quotidie accedo et sub specie panis et vini ipsum quotidie sumo, et non solum non rapior cum Paulo in tertium cælum, sed terræ totus adhæreo omnisque mea sollicitudo terræ famulatur et corpori, nulla cælo. Hæ sunt angustiæ, quæ me undique premunt, hæc consternatio mea magna nimis. Vereor enim,

ne, quod in salutem constituisti, in judicium et condemnationem accipiam. Numquid ergo fugiam a facie tua cum impio Cain, aut abscondam me cum Adamo, eo quod nudus sim et audierim vocem tuam? Absit. Scio enim, quia major est misericordia tua quam miseria mea, major est clementia tua quam iniquitas mea. Si fœdus, si infirmus, si nudus sum, tu me potes mundare, sanare, vestire. Ad te igitur cum timore et tremore confugio, ut me vestias, sanes et purifices. Abstrahe cor meum a ceteris omnibus extra te, in quibus nihil est nisi vanitas et afflictio spiritus. Sentiat mens mea dulcedinem præsentiæ tuæ, gustet, quam suavis es, ut amore tuo capta nihil quærat extra te, Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum.

Humilitatis.

Immense, tremende, potentissime et incomprehensibilis Deus, quis es tu, et quis sum ego, ut digneris venire ad me, mecum epulari et mansionem apud me facere? Heu! quanta est dignatio tua, quanta miseria et ingratitudo mea! Tu Rex regum et Dominus dominantium, qui respicis terram et facis eam tremere; tu fons sanctitatis, coram quo Angeli non sunt puri; tu sol claritatis æternæ, qui

lucem habitas inaccessibilem: ego vero animal immundum, omnium calamitatum ludibrio expositum, insanis perturbationum motibus agitatum, omni vanitati subjectum, vas contumeliæ, filius iræ et tenebrarum. Et quomodo potest lucis tuæ ad tenebras meas esse conventio? Quomodo præsumam ad te accedere vermiculus terræ, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat? Qua fiducia coram te apparebo, justissime Judex, ante cujus conspectum columnæ cæli contremiscunt? Longe enim recessi a te, qui tamen ubique es; et miserabilis anima mea, quam tibi in baptismate desponsaveras, fornicata est cum amatoribus multis, te repudians Creatorem et Redemptorem, ut fallacibus creaturis adhæreret. Tu me segregasti ex utero matris meæ et vocasti per gratiam tuam, ut lucerem coram hominibus doctrinæ et vitæ splendore: ego vero in tenebris vixi non sapiens, quæ tua sunt, sed quæ super terram. Tu parasti mihi mensam in dulcedine tua, et suspiravi ad ollas carnium Ægypti. Tu potasti me Sanguine tuo, et converti me ad poculum Babylonis. Verumtamen ego loquar ad te, cum sim pulvis et cinis. Respice servum tuum et suscipe me, quem tam amanter invitas ad te. Jam enim cognovi, quia sine te

nihil sum, nihil possum, et extra te non est salus nec vita. Projice ergo post tergum tuum omnia peccata mea et amplectere me quamvis indignissimum gratia tua ad te revertentem, juxta verbum Prophetæ tui dicentis: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*

§ 13.

Commemoratio Dominicæ passionis ante Missam.

Sæpe dictum est, in hoc incruento sacrificio cruentum illud, quod semel in cruce peractum est, non verbis, sed reipsa repræsentari; una siquidem et eadem est hostia, idem, qui per sacerdotis ministerium offert, idem Christus, qui immolatur. Sicut enim dicitur Agnus occisus ab origine mundi, eo quod mortuus censeatur in figuris animalium, quæ in ipsius memoriam mactabantur: ita non immerito eumdem vocare possumus Agnum, qui quotidie occiditur usque ad finem mundi, in hac nimirum suæ mortis repræsentatione, quæ duratura est, donec mundus durabit. Ideo sancti Patres mortis Christi memoriam hoc sacrificium celebranti super omnia necessariam esse affirmant, dicente Apostolo: *Quotiescum-*

que manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Hoc ipsum autem idem Salvator noster præcepit, cum instituto hoc Sacramento ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba seraphicus Doctor sollicite expendens libro de puritate conscientiæ cap. 9. existimat, sacerdotem nullatenus debere Missæ sacrificium celebrare, quin prius passionem et mortem Domini commemoret. *Id*, inquit, *quod pro meipso retineo, est verbum illius, qui hoc sacramentum instituit, quem non credo illud frustra protulisse. Dixit enim: Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Ex quo quidem verbo arguo mihi ipsi, quod, quoties volo id agere, quod ipse instituit et modo prædicto reliquit, timeo nequaquam sine remorsu conscientiæ ac præjudicio animæ ad illud posse accedere, nisi præmemorata ipsius instituentis caritate ac ejus passione et morte, in cujus memoriam perpetuo recolendam illud sacramentum debere confici et percipi ipse præclare asseruit et injunxit.* Sacerdos itaque, cum ad sacrum faciendum se præparat, fasciculum sibi colligat ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini, et inter ubera sua collocet cordisque medullis

inserat, mente et affectu sedulo revolvens omnia tormenta, quæ ille pro salute nostra perpessus est. Hæc frequenter in ore, hæc semper in corde habeat; et hæc sit ejus sublimior philosophia: scire Christum, et hunc crucifixum. Cum vero ad altare accessurus est, sic oret ex toto corde:

Oratio.

Memoria memor ero, clementissime Pater, et tabescet in me anima mea omniumque dolorum et passionum atque acerbissimæ mortis Filii tui Domini mei Jesu Christi cum gemitibus et lacrimis recordabor, quia ipse salus et vita mea ante oculos meos pependit in ligno offerens se tibi in holocaustum pro mea et totius mundi salute. Hanc autem oblationem vivam, quam tu misisti in miseratione multa ad altare crucis immolandam pro nobis, hanc eamdem tibi nunc offero, passionem ejus et mortem recolens ac repræsentans, sicut ipse præcepit, cum dixit, ut idem in ejus commemorationem faceremus. Recordare itaque humilitatis ejus, patientiæ, caritatis, mansuetudinis et obedientiæ. Respice labores ejus, jejunia, contemptus, contumelias, vincula, irrisiones et iniquam condemnationem. Respice in faciem Christi tui et

intuere speciosum forma præ filiis hominum opprobriis, injuriis, verberibus, livoribus, contusionibus ita deformatum, ut non sit ei species neque decor. Vide caput nobilissimum spinarum punctionibus transfossum et percussionibus attritum. Vide genas modestissimas sputis fœdatas, alapis cæsas, sanguine cruentatas. Vide oculos benignissimos lacrimis perfusos et ad ignominiam velatos. Vide os suavissimum siti ardentissima cruciatum et felle atque aceto potatum. Vide dorsum, supra quod fabricaverunt peccatores, verberibus dilaniatum et humeros crucis pondere oppressos. Vide brachia amabilissima funibus devincta et in cruce crudeliter extensa. Vide manus innocentissimas durissimis clavis perforatas. Vide pedes delicatos tot itineribus defatigatos ac cruci tandem affixos. Vide corpus venerabile pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum et sepultum. Vide sanguinem pretiosissimum usque ad minimam guttam pro nostra salute misericorditer effusum. Hæc enim tibi offero et repræsento, omni quo possum devotionis affectu suppliciter orans, ut ipsa pietas, qua Filium tuum pro nobis tradidisti, te omnibus misereri compellat, pro quibus ille factus obediens usque ad mortem crucem subire dignatus est. Amen.

§ 14.

Oratio ante Missam ad Patrem.

Respice, clementissime Pater, de sanctuario tuo et de excelso cælorum habitaculo et intuere hanc immaculatam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster Jesus Christus Filius tuus Salvator mundi pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudinem malitiæ nostræ, quia vox Sanguinis Domini nostri clamat ad te de cruce. Hic est justitia mea et sanctificatio ac propitiatio mea. Averte faciem tuam a peccatis meis et respice in faciem Christi tui; ejus enim meritum offero ad te omnemque fiduciam in eo defixam habeo. Impellit ministrandi necessitas, terret conscientia indebiti sacerdotii. Sed rogo te, ne despicias mihi creditæ dispensationis officium, licet in me boni operis testimonium non agnoscas. Et quia me indignum mediatorem esse voluisti inter te et populum tuum, ne me repellas a tua pietate cum divinissimis donis tuis venientem ad te, ut inculpate accedens ad gloriam tuam dignus sim, qui operiar protectione unigeniti Filii tui et illuminatione Spiritus Sancti tui, atque pro omnibus deprecans pro omnibus exaudiar te præstante, Deus

meus, Pater misericordiarum, qui cum eodem Filio tuo in unitate ejusdem Spiritus Sancti vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

§ 15.

Oratio ante Missam ad Dominum Jesum Christum.

Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, pro ineffabili tua caritate, qua transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam mihi parasti in dulcedine tua, mensam prorsus regalem omne delectamentum in se habentem; mensam pretiosissimam Corporis et Sanguinis tui, ut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et secreto illapsu nutritionis tuæ roboretur infirmitas mea. Et unde hoc mihi, gloriosissime Fili Dei, ut me permittas venire ad te et cum ceteris commensalibus tuis epulari? Atque utinam ab omni culpa liber, purus ab omni labe, ab omni vitio purgatus et ab omni inordinata affectione perfecte emendatus essem, ut ad hanc mensam supercælestem accedere possem fervens caritate, niveus innocentia et omnium virtutum decore exornatus. Sed quia miserrimus ego sum et omni ornamento destitutus, obsecro te in primis, benignissime Salvator, cujus

caritas immensa est, bonitas infinita, ut Sanguine tuo animam meam lavare et super nivem dealbare, meritis tuis induere illoque igne ardentissimi amoris succendere digneris, qui te a nobis discessurum compulit ad hoc vivificum convivium instituendum. Obsecro deinde beatissimam Virginem Matrem tuam et omnes electos tuos, ut tibi pro me offerant caritatem, fidem et devotionem, qua hoc sacramentum susceperunt ab initio institutionis ejus usque in præsentem diem.

Et quia particeps ego sum omnium timentium te, offero tibi omnium sacerdotum omniumque fidelium hac die celebrantium et communicantium pietatem et puritatem. Offero omnium justorum ab origine mundi usque ad ejus consummationem virtutes et merita ac pios affectus erga te, dulcissime Jesu, in venerabili sacramento exsistentem: firmissimæ nimirum fidei et vivæ apprehensionis earum rerum, quæ de hoc maximo mysterio credendæ sunt; perfectissimæ caritatis et intimæ tecum familiaritatis; famis et flagrantissimi desiderii te, omne bonum, suscipiendi; filialis fiduciæ et spei de tua misericordia tam mirabili modo declarata; zeli divinæ gloriæ et dilectionis proximi, pro cujus salute hoc sacrificium offertur; admirationis tantæ dignationis

et profundissimæ humilitatis; gaudii et jubili in te et de te; laudis, gratitudinis, adorationis et devotionis. Hos, inquam, aliosque affectus offero tibi in supplementum insufficientiæ meæ, et eos, si possem, elicerem cum maxima intensione ad laudem et gloriam tuam, quia dignus es. Suscipe, Domine, hoc desiderium meum, meritisque placatus electorum tuorum, ne a mensa tua repellas me, quatenus, hoc cibo satiatus, hoc recreatus potu vitam habeam, et abundantius habeam hic et in æternum. Amen.

§ 16.

Alia Oratio ad eumdem.

Veni, Domine Jesu, unica salus animæ meæ, et infunde pectori meo multitudinem dulcedinis tuæ, ut nihil amem, nihil desiderem præter te. Veni, gaudium et felicitas mea, veni, spes et robur meum, quia tecum sunt divitiæ et gloria, tu vita et consolatio mea, tu paradisus voluptatis. Atque utinam te veniente ad me vertantur mihi in amaritudinem omnes mundi deliciæ, ut tibi unitus in hoc cælesti convivio a te numquam separer in æternum. Frustra expenderem argentum meum in panibus et laborem meum in saturitate, licet omnes Ægypti escas compararem,

si carerem hoc pane, qui præbet delicias regibus, et vino tuo destitutus essem, cujus suavitas in infinitum excedit omnia hujus sæculi oblectamenta. Et unde mihi tantum bonum, ut tecum epulari merear, Rex tremendæ majestatis, ego indignissimus servus tuus, qui quotidie pecco et incorrigibilis persevero? Sed major est in infinitum misericordia tua quam miseria mea: et tu, dulcissima refectio mea, me in virum alterum transformas et verbo virtutis tuæ sanas omnes languores meos. Ad te igitur venio de tua pietate confisus, et in te sperans non confundar. Lætifica animam servi tui et supple, quod mihi deest, tu benignissime Salvator, qui omnes ad te vocare dignatus es dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Refice me teipso, quia in te sunt omnes cæli deliciæ ex copiosissimo flumine gaudiorum Dei cum tanta plenitudine emanantes, ut omnes digne ad te accedentes inexplicabili lætitia replere possint. Uni intime tecum animam meam et fac me dignum, ut huic mensæ supercælesti cum debito virtutum ornatu assideam et dulcedine perfruar præsentis divinitatis. Amen.

§ 17.

Oratio ad Spiritum Sanctum.

Veni, Sancte Spiritus, amor Patris et Filii, mundator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, mærentium consolator, fulgor intellectus et vindex libertatis. Veni e patria felicitatis et cordis mei penetralibus tam potenter illabere, ut vitia omnia et defectus tuo igne consumas et omnia peccata mea remittas. Emitte in animam meam lucis tuæ radium, quo illuminante intellectum, quæ tibi sunt placita, videam: quo affectum inflammante ad ea prosequenda tota virtute incumbam. Fac me dignum sacris altaribus ministrum meque torrente tuæ voluptatis inebria, ut cælesti suavitate in hac divinissima mensa degustata nihil venenatæ mundi dulcedinis libeat amplius degustare. Imbuat me et perficiat septiformis Spiritus tuus, et ad illum scientiæ gradum fac me pertingere, ad quem pervenit Apostolus tuus, cum dicebat se nihil scire nisi Christum et hunc crucifixum. Roboretur infirmitas mea fortitudine tua, vincat bonitas tua malitiam meam, et deformitas mea tua pulchritudine decoretur. Sursum erige me per æternorum affectionem, copula tecum per amoris unita-

tem, conserva per finalem perseverantiam, ut tuo ductu revolet anima mea ad te, principium et finem suum, a quo numquam separetur. Amen.

§ 18.

Oratio ad beatam Virginem.

Gloriosissima Mater Dei Virgo Maria, tota fiducia mea et unicum solatium languentis animæ meæ, precor te, ut mihi miserrimo peccatori assistere hac hora digneris, qua pretiosissimum Filii tui Corpus et Sanguinem æterno Patri oblaturus sum, sicut amans et dolens eidem Filio tuo in cruce pendenti et se pro nostra salute offerenti astitisti. Ne me despicias, Mater misericordiæ, ob intolerabilem peccatorum meorum fœditatem; neque avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit. Plena es gratiarum, plena rore cælesti, innixa super dilectum tuum, deliciis affluens. Ciba ergo pauperem tuum de supereffluenti mensa tua tuarumque virtutum vestibus indue me, ut his ornatus divino conspectui gratus appaream. Memento illius caritatis, qua Verbum Dei ex te carnem assumpsit, ut tu fieres mater nostra. Aperi manum tuam et imple me benedictionibus, quibus te

Deus benedixit in æternum, ut te interveniente tremenda mysteria acceptabiliter perficere et sancta sanctorum digne merear degustare.

§ 19.

Oratio ad sanctos Angelos.

Sancti Angeli, purissimi spiritus, ministri Dei altissimi, qui facitis voluntatem ejus et orantium preces in cælum defertis: tuque præcipue, fidelissime custos meus, state mecum juxta aram, in qua Deo Patri totius mundi pretium oblaturus sum, et in vestris thuribulis incensum orationum mearum suscipite, ut fumus aromatum hujus divini sacrificii ascendat per manus vestras in conspectu Dei. Purgate, illuminate, perficite et dirigite me vestramque puritatem et innocentiam impetrate mihi, ut appaream coram Deo decenter ornatus.

Sancti Archangeli, duces illustrissimi militiæ cælestis, instruite me ut hæc sancta mysteria percipiam fidemque vivam et efficacem hujus sacramenti in me excitate.

Altissimi Principatus, vera pace interna animam meam componite, ut in ea jugiter commoretur Dominus, de quo scriptum est: *Et factus est in pace locus ejus.*

Sanctissimæ Virtutes, assistite mihi, ut proficiens de virtute in virtutem, Deum deorum dignus sim oculo fidei cernere, manibus contrectare, intus recipere ac tandem in patria clare vobiscum intueri.

Invictissimæ Potestates, dæmonum impetus cohibete, ne mihi appropinquent sacrificanti, ut sine impedimento digne merear Deo servire et ministrare.

Potentissimæ Dominationes, veram mihi et sanctam libertatem obtinete, ut nec peccato serviam nec corporis mei appetitui et sensibus subdar.

Throni stabiles et sublimes, sedes pulcherrimæ Dei, discam a vobis veram humilitatem et subjectionem, ut fiat anima mea gratissimum domicilium Deo, qui superbis resistit et super humilem et quietum requiescit.

Clarissima et nobilissima cæli lumina Cherubim, illustrate mentem meam plenitudine scientiæ, ut summam utilitatem meam hujusque sacrificii infinitam excellentiam agnoscam.

Supremi spiritus Seraphim, ardentissimi amatores Dei, solvite gelu cordis mei et vestrum in eo ignem succendite, ut Deum vobiscum ardenter amem, atque utinam sicut vos.

§ 20.

Invocatio omnium Sanctorum.

Sancti Dei omnes, cives supernæ patriæ, inclinate aures vestras et demittite lumina ad me meamque orationem exaudite. Ad vos clamo pauper, nudus et infirmus, cui omnia desunt ornamenta virtutum; ad vos clamo et vestram imploro benignitatem; succurrite infirmitati meæ, fidem meam et spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri, induite me veste nuptiali, ornate donis, quibus abundatis, ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam cælestis convivii, in conspectum divinæ majestatis.

Sancti Patriarchæ et Prophetæ, qui Christum Dominum nostrum dictis prophetastis et ardentissimis desideriis e cælo ad terram traxistis hujusque sacramenti mysteria variis typis et umbris præfigurastis, preces fundite pro me, ut ipsum Dei Filium sancte tractare possim et puro corde complecti.

Sancti Apostoli, quos Christus in ultima Cena Novi Testamenti sacerdotes creavit ac primum seipso cibavit: vos supplex exoro, ut vestra adjutus ope gratiam non negligam per manuum im-

positionem mihi collatam, sed magno quotidie augeam incremento.

Sancti Martyres, qui Christo Regi pro nobis crucifixo vicem, quam potuistis, vitæ oblatione per martyrium rependistis, ipsum pro me orate, ut ignem sui amoris accendat in corde meo, quo succensus et purificatus meipsum mactem Deo hostiam vivam et ei placentem, sicque paratus et probatus ad hoc divinum sacrificium accedam.

Sancti Pontifices et Confessores, mysteriorum Dei fidelissimi dispensatores, qui hostiam placationis frequenter pro populo obtulistis; pro me, obsecro, intercedite, ut meum, quod oblaturus sum, sacrificium Deo sit acceptabile mihique et omnibus, pro quibus illud offeram, propitiabile.

Sancti Monachi et Eremitæ, qui cibo potuque cælesti sæpius refecti pravas concupiscentias et vitæ hujus pericula superastis, adjuvate me orationibus vestris, ut sacris hisce mysteriis armatus meipsum vincam et omnes inimicos animæ meæ conteram sub pedibus meis.

Sanctæ Virgines Deo amabiles, quæ studio castitatis dignum in vobis Filio Dei habitaculum præparastis et nunc in cælo canticum novum concinitis, quod nemo potest dicere, nisi fuerit virginita-

tis prærogativa eximius, impetrate mihi perfectissimam castitatem, qua corpus et animam in omni puritate contineam, ut Christo Domino, qui pascitur inter lilia, gratum in corde meo exhibeam domicilium.

Sancti mei Tutelares N. N., et vos Sancti N. N., quorum hodie memoriam veneramur, vestro confisus patrocinio accedo nunc ad immolandum Corpus et Sanguinem Jesu Christi Domini nostri: comitamini me euntem ad altare, fulcite meritis vestris, ornate virtutibus, ut hoc sacrificium viva fide, ferventi caritate et plena devotione perficiam perque ejus continuum et salutiferum usum vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

Caput 5.

De Missæ celebratione.

§ 1.

De proxima dispositione ad Missam.

Pervulgatum apud sanctos Patres axioma est, quod talem se animæ exhibet Deus, qualem se illa præparat Deo. Ideo Christus in eucharistia aliis quidem est fructus vitæ, panis Angelo-

rum, manna absconditum, paradisus deliciarum, ignis consumens, et tertium cælum, in quo audiuntur arcana verba, quæ non licet homini loqui: aliis vero est panis insipidus, omni carens dulcedine et vitali operatione; et nauseat anima eorum super cibo isto, quia nimirum mors est malis, vita bonis; et sicut quisque erga Deum affectus est, talem ipsum erga se experitur. Pauci sunt, qui admirabiles hujus sacri convivii in se sentiant effectus, quia pauci sunt, qui se ad illos recipiendos rite disponant, qui serio cogitent se ad sancta sanctorum accedere, ad altare Dei, ad Deum ipsum. Ideo multi infirmi sunt et imbecilles et dormiunt multi.

Mortem olim summo sacerdoti minabatur Deus, si ausus fuisset introire in sancta sanctorum sine strepitu tintinnabulorum, non radians gemmis, non fulgens auro omniumque virtutum varietate circumamictus. Quam ergo pœnam merebitur Novæ Legis sacerdos, qui non ad arcam typicam, sed ad Deum ipsum accedit, ut filium ejus Dominum Jesum Christum immolet, tangat, comedat; nisi id faciat ea sollicitudine, attentione et apparatu, qui dignus sit tali convivio, dignus Deo? Instante itaque celebratione, totis viribus curare debet, ut in ara cordis ignem

divini amoris succendat actusque eliciat diversarum virtutum, qui heroici sint et tanto sacrificio ejusque termino et objecto, quantum fieri poterit, convenientes.

Quia vero in hoc sacrificio non solum animus, sed etiam corpus occupatur, ipsum quoque oportet ab omni sorde incontaminatum custodire. Si enim sacerdos Mosaica sacrificia, quæ nonnisi infirma et egena elementa fuerunt ac umbra futurorum, oblaturus, ex Dei præscripto nitidis vestibus indui corpusque lavare tenebatur: quanto magis decet a sordibus etiam corporeis christianum sacerdotem expurgari, qui Domini sui carnem et sanguinem offert, comedit, bibit? Et primo quidem necessariæ celebraturo sunt hæ corporis dispositiones, jejunium scilicet, castitas et carnis munditia, de quibus disserere ad scholasticos spectat: vestes item compositæ et modestæ, quæ sordibus careant et pompa nec quidquam redoleant, quod a statu sacerdotis alienum sit. Tum, quia Christus ante hujus sacramenti institutionem lavit pedes discipulorum suorum, debet sacerdos pedes animæ, qui sunt affectus, ab omni macula expurgare, cor lacrimis abluere et, dum manus lavat, actu ferventissimo contritionis omnem vel levissimam culpam expiare. Cum vero lotis manibus hostiam

patenæ imponet, intentionem renovabit considerans, quod ille panis mox fiet Corpus Christi: tum ex suæ vilitatis et immensæ dignitatis hujus mysterii apprehensione actus eliciet timoris et confusionis.

§ 2.

De sacris vestibus et earum significatione.

Sicut reges et magistratus non vulgari et quotidiano vestitu in publicis functionibus uti solent, sed alio augustiore, quo potestas eorum appareat et ipsis reverentia concilietur: ita sacerdos celebraturus sacro et peculiari utitur habitu; amictu scilicet, alba, cingulo, manipulo, stola, casula sive planeta, quibus et passio Christi ante sacrificium recolenda repræsentatur et ejusdem virtutes exprimuntur, quibus ornari celebrantem par est, ut sacerdotio fungatur in justitia et sanctitate veritatis. Cum enim hoc sacrificium incruentum idem sit cum sacrificio crucis, ut supra explicavimus, congruum est, ut sacerdos, qui Christi pro nobis morientis personam gerit, ejus quoque similitudinem habeat in vestimentis: idque ad decus et reverentiam sacrificii adhibeatur, quod impius Judæorum furor ad contumeliam intulit Salvatori.

Porro amictus velamen illud significat, quo facies Christi velata est, cum percutiebant eum illudentes et dicentes: *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?* — Alba vestem albam denotat, qua ab Herode tamquam stultus indutus fuit. — Cingulum funes, quibus in horto vinxerunt eum; sive flagella, quibus columnæ alligatum crudelissime ceciderunt. — Manipulus vincula, quibus adstrictæ sunt manus ejus tamquam hominis nefarii et scelerati. — Stola funes collo ejus injectos, sive crucis patibulum humeris ejus impositum, et in quo pro nobis pependit. — Planeta vestem purpuream, quam ei milites in domo Pilati tamquam ludicro regi imposuerunt. Cum igitur hæc indumenta signa sint eorum, quæ Christus pro nobis perpessus est, varii actus a sacerdote, dum illis induitur, eliciendi sunt: amoris, doloris, gratitudinis et intensissimi desiderii ejus patientiam et humilitatem imitandi in doloribus, afflictionibus, opprobriis aliisque adversitatibus sustinendis.

Considerandæ sunt etiam virtutes, quæ per eadem indumenta mystice designantur, ut discat sacerdos, qua vitæ sanctimonia et morum integritate præditus esse debeat; scriptum est enim: *Sacerdotes tui induantur justitiam,* om-

nibus scilicet virtutibus ornati sint, quas justitiæ nomine passim sacræ Litteræ comprehendunt.

Amictus itaque significat, oportere mentem in æternæ dumtaxat salutis rerumque cælestium consideratione fixam habere, ab omnibus curis rerum caducarum amotam et contra quoscumque hostium incursus spe et fiducia in Deum tamquam galea salutari communitam. Refert etiam amictus Christi Domini humanitatem, cujus caput divinitas est, quæ ab illa occultatur, sicut amictus caput tegit sacerdotis. Neque enim oculi nostri Solis justitiæ infinitum splendorem intueri potuissent, nisi carnis nube operiretur. Quare sacerdos cum illum accipiens osculatur et capiti imponit, se amoris osculo sacratissimam Christi humanitatem tangere et capiti imponere putet, ut ea se protegat et tueatur dicens cum Propheta: *Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti caput meum in die belli.* Obiter quoque per amictum monetur sacerdos maximam servare oculorum modestiam, cum pergit ad altare et ibi manet et ab eo redit, nihil prorsus aspiciendo, nisi quod necessarium est, ut videat, quod facit.

Alba totum corpus tegens, innocentiam, simplicitatem, puritatem animique

candorem et pulchritudinem indicat, quæ totum sacerdotem complecti et exornare intus et extra debet atque in omnibus operibus ejus splendere, ut sit sanctus et immaculatus in conspectu Dei, seque talem semper exhibeat divinis mysteriis celebrandis.

Cingulum indicium est castitatis, quæ in sacerdote ita splendere debet, ut nullam prorsus tam in corpore quam in corde admittat labem. In cujus rei typum jussit olim Deus, ut comedentes agnum accingerent renes suos: et ipse Christus ait: *Sint lumbi vestri præcincti.* Idem quoque beato Joanni apparuit in Apocalypsi præcinctus zona aurea, ut nimirum intelligamus, oportere nos omnes affectus purificare et amorem carnalem vincere spirituali, quod est aurum caritatis.

Manipulus præmisso crucis osculo sinistro brachio insertus ostendit lacrimas, dolorem et pœnitentiam, quibus lugere peccata ac perpetuo dolere sacerdos debet; carnis item et spiritus mortificationem; et humilitatem, qua accedendum est ad altare; tum futuram bonorum operum retributionem, sicut Psalmographus cecinit: *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos.*

Stola collo superposita et in modum crucis per medium pectoris ducta demonstrat, sacerdotem teneri se Deo unire et quodammodo colligare, suamque crucem Dei causa patienter ferre, divinæ legi cum omni obedientia se subjicere, ejusque jugum alacriter portare ac semper memorem esse mandatorum Dei ad faciendum ea.

Casula, quæ ceteris vestibus splendidior et pretiosior illis superinduitur, signum est caritatis, quæ reliquis virtutibus excelsior omnibus supereminet tamquam illarum regina et vinculum perfectionis. Omnes enim sine ea sunt imperfectæ, ab ea pendent omnia mandata divinæ Legis, et omnia bona in ipsa continentur. Sicut autem casula in duas partes dividitur, ita caritas duplex est: erga Deum et proximum; et sicut illa varios exigit colores juxta temporis aut festivitatis diversitatem: ita hæc varios affectus, nunc lætitiæ ob Dei magnalia, nunc gratitudinis ob ejus beneficia, nunc fortitudinis in adversis, nunc tristitiæ ob propria et aliena peccata.

Hæ sunt præcipuæ virtutes, quas vestes sacerdotales significant, quarum actibus induere se debet sacerdos, ut suum digne offerat sacrificium. Consuetas autem Ecclesiæ preces singulis indumentis

accommodatas attente et devote recitabit et, cum indutus fuerit, seipsum considerabit tamquam lupum in vestimentis ovium et rubore suffusus veniam a Deo flagitabit.

§ 3.

De accessu sacerdotis ad altare.

Si ad omnes sacras functiones sancte accedendum et omnes sancte peragendæ sunt, multo majori sanctitate hoc divinum sacrificium offerendum est, quo nihil sanctius, nihil excellentius, nihil divinius esse potest. Ad hoc omni conatu niti debes, christiane sacerdos, si tam sublimi et tremendo ministerio rite et perfecte fungi desideras. Qua in re ut tibi prosim, documenta quædam generalia præmittam, deinde singillatim proponam aliquot considerationes pro singulis sacrificii partibus, ex quibus pios elicere affectus possis et mentem utiliter occupare, ne distrahatur. Neque deterrearis, si hujusmodi considerationes et affectus aliquanto fusius explicavero: licet enim multis verbis describantur, possunt tamen in momento elici nec Missæ celebrationem solito prolixiorem reddent, ut reipsa experieris; nam ipso usu memoriæ tenaciter infigentur, adeo ut eos quasi na-

turaliter eliciturus sis absque ulla confusione aut capitis fatigatione.

Primum generale documentum est, ne toto sacrificii tempore Deum offendas ullo peccato veniali nec ullo defectu et imperfectione tam venerandi sacrificii excellentiam contamines. Id vero assequeris, si ea reverentia, attentione et devotione celebraveris, quæ omnem vel levissimam animi evagationem excludat: si exactissime et scrupulosissime observaveris, quidquid in missali præscribitur circa ritus et cæremonias, eo modo, quo a viris serio perfectioni incumbentibus observari solent.

Secundo, omnia verba, quæ sive elata sive submissa voce proferuntur, clare, distincte, ferventer et absque ulla festinatione pronuntiabis, nihil interim mente revolvens, quantumvis bonum et sanctum videatur, quod a propria et litterali verborum significatione alienum sit, ut te menti Ecclesiæ conformes, quæ omnes Missæ preces, lectiones et sententias magno cum delectu ad sacerdotis et astantium instructionem et devotionem selegit. Ad hoc autem plurimum proderit omnes Missæ ritus perspectos habere, eaque omnia probe intelligere, quæ tum in Lectionibus, Collectis, Evangelio, Versibus et ceteris hujusmodi, tum in Canone

continentur, quæ facile disces ex eorum lectione, qui de officiis ecclesiasticis scripserunt, quales sunt Isidorus, Amalarius, Rabanus, Berno, Hugo Victorinus, Rupertus Abbas, Dionysius item in libro de ecclesiastica hierarchia, Germanus in theoria rerum ecclesiasticarum; et ex recentioribus Gabriel Biel in Canonem, Durandus in Rationali, Joannes Baptista Scortia de sacrificio Missæ, et alii plures.*) Affectus vero elicies, quales infra proponam, eorum, quæ recitas et agis, sensui et significationi convenientes.

Tertio, sicut in missali præcipitur, antequam sacris te vestibus induas, Missam celebrandam perquires, perleges et ad ea, quæ dicturus es, signacula ordinabis, ne te postea contingat aut in verbis hæsitare aut in cæremoniis deficere et perturbari.

Quarto, processurus ad altare crucifixum vel aliam imaginem humillima inclinatione salutabis te tanto ministerio indignum reputans atque ideo ipsius Christi Sanctorumque opem implorabis. Tum ipsum Christum mente intuere quasi cruce onustum et ad Calvariæ montem iturum ante te incedentem. Sequere ipsum pri-

*) St. Alfonsus de Liguori, Gihr, Hartmann, Hausherr, de Herdt, Kunz, Martinucci, Müller, Schober, Thalhofer.

marium offerentem, cujus passio et mors a te debet repræsentari: sequere, inquam, cum modestia et gravitate, et agmina Angelorum te undique stipantia venerare teque existima ex hoc mundo in cælum transferri.

Quinto, cum perveneris ad altare, cælum tibi desuper veluti apertum contemplare et curiam cælestem Deumque ipsum spectantem te pro universa Ecclesia hostiam litantem immaculatam. Memineris pœnam mortis olim indictam bestiæ, quæ montem tetigisset, idque tibi applica hominum pessimo et timorem concipe. Mox in Deum assurgens satage, quantum potes, ferventissimos actus caritatis elicere, cupiens in Christum totus converti eique simillimus fieri virtutum imitatione. Cum denique librum aperis, memor esto libri, quem aperuit Agnus, et septem signaculorum ejus: et desidera Christi fidem in universum orbem propagari.

§ 4.

De initio Missæ usque ad Introitum.

Calice rite collocato et missali aperto, stans paulisper in medio altaris, et facta cruci inclinatione, te cum Abrahamo quasi pulverem et cinerem ante conspectum Domini confiteberis imitans Christum, qui

cælos inclinavit et descendit formam servi accipiens; quo enim humilior fueris, eo gratior et acceptior erit Deo oblatio tua. Mox descendens ad crepidinem altaris, Verbi æterni incarnationem recole ejusque dilectionem et admirabilem promptitudinem ad opus nostræ redemptionis suscipiendum. Iterata autem inclinatione te intime humilia et Deum adora pro omni creatura. Dum signo crucis te signans dicis: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* animadverte, quale et quantum sit nomen, a quo sacrificium auspicaris, et sic te gere, ut tantam decet majestatem. Magni momenti est sanctissimæ Trinitatis præsentiam initio concipere et ab ea numquam deflectere; ad ipsam enim et ad ejus gloriam oblatio dirigitur, ejusque memoria robur tribuit ad improbos hostium conatus elidendos, qui semper tentant variis et inutilibus curis atque imaginationibus mentem a sacrificio avocare. Sic concepta Dei præsentia duos affectus raptim elicies: fidei contra infideles Trinitatem negantes, et recordationis crucis Christi atque passionis in ea completæ, ex qua fluxerunt omnia bona. Hos autem affectus ad omne signum crucis renovabis.

Sequitur antiphona *Introibo ad Altare Dei,* quæ ter repetitur, ante psalmum,

in ipso, et post ipsum; ut intelligas, spirituali impulsu et alacritate ac summa veneratione totam Missæ actionem peragendam esse omni abjecta tepiditate. Admirare Dei bonitatem, qui te vocavit ad altare suum: quis enim es tu, ut audeas ad ipsum introire? Ora abscondi in abscondito faciei Domini a conturbatione malorum spirituum, ne immittentes tetra phantasmata divinum perturbent ministerium. Ora etiam, renovari in te animæ juventutem, quæ est fervor spiritus, ex quo vera et solida lætitia procedit.

Ad primum versiculum Psalmi: *Judica me Deus,* considera, ea præparatione et dispositione ad altare accedendum esse, ut Dei judicium non pertimescas, ut discernaris a gente non sancta et iniqua sisque purus et sine macula ante Deum, quantum fert humana fragilitas. Hanc autem puritatem humiliter petes, cum certa fiducia eam meritis Christi obtinendi.

Ad secundum: *Quia tu es, Deus, fortitudo mea,* erubesce, quod toties tanti sacramenti divino alimento confortatus adhuc imbecillis es, adhuc tristis incedis et cuicumque levissimæ tentationi turpiter succumbis. Merito ergo repellit te Deus, merito te affligit inimicus, nisi ipse vires suppeditet, qui est fortitudo tua et robur tuum.

Ad tertium: *Emitte lucem tuam,* pete divinum lumen, ut veritatem a vanitate discernens ipsam veritatem sequaris, cujus splendoribus interior sensus illustratus cum externo sacrificio concordet. Mons vero sanctus, qui in hoc versiculo commemoratur, altare est Calvariæ montem indicans, quia in eo Christi passio et mors repræsentanda est.

Ad quartum: *Et introibo,* magnum renova in te reverentiæ affectum erga altare et sacrificium.

Ad quintum: *Confitebor tibi in cithara,* excita in te cordis lætitiam, quæ per citharam significatur; sed statim oculos ad tuam imperfectionem reflectens ingemisce et dic: *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?*

Ad sextum: *Spera in Deo,* ne despondeas animum; restat enim spes in salutari tuo, in quo tota fiducia collocanda est, quoniam ipse dabit, ut obtenta culparum venia in ipso gaudeas et in ejus laudibus perseveres.

Hac spe excitatus dices cum ingenti fervore: *Gloria Patri* etc., caput inclinans et te offerens ad omnia adversa et ad mortem pro Deo sustinendam. Tum repetita antiphona *Introibo,* ut bene memineris, quo ingrederis et quid aggrederis, dices: *Adjutorium nostrum,* ut

discas non ponere fiduciam in tuis viribus et industria, sed in eo, *qui fecit cœlum et terram;* a quo duplex adjutorium postulabis: pro consequenda æterna salute et mediis ad eam necessariis, et pro illa peculiari necessitate, pro qua offers sacrificium.

Subditur statim generalis confessio, quia *justus prior accusator est sui,* quam humiliter recitabis actum eliciens contritionis, ut est distincta ab attritione; dolens scilicet de peccatis tuis et totius mundi super omnia mala, idque pure propter Deum super omnia bona dilectum: dabisque operam, ut verba illa: *mea culpa,* cum magno doloris sensu proferas et cum bona spe divinæ misericordiæ pro tuis et aliorum peccatis. Confiteris autem non solum Deo Creatori, Redemptori et Judici tuo, sed etiam B. Virgini, cujus innocentem Filium sceleribus tuis interfecisti: B. Michaëli Archangelo, cujus obsequiis te ingratum exhibuisti: B. Joanni Baptistæ et aliis Sanctis, quorum monita et exempla contempsisti: fratribus quoque, quibus scandalo fuisti. Agnoscens autem fragilitatem tuam et necessitatem, auxilium eorum imploras, quibus confessus es, ut pro te orent, quod humiliter facies: et cum astantes preces pro te fundunt dicentes: *Misereatur,* dum

etiam ipsi confitentur, dum sequentes versiculos recitas, illum in te spiritum excitabis, quem verba sonant, magno animi ardore et devotione.

Osculum altari semper figes tenero amoris affectu erga Dominum Jesum Christum cum intenso desiderio semper ei adhærendi: et ideo brevem, sed ferventissimum amoris actum elicies.

§ 5.

De Introitu usque ad Epistolam.

Introitum et ea, quæ sequuntur, sedate, attente et devote recitabis adhibitis magna cum honestate præscriptis cæremoniis, ut spiritualem ac divinam rem agi omnes intelligant. Attendes autem ad sensum verborum et, cum dicis: *Gloria Patri,* sanctissimam Trinitatem adorabis optando, ut omnes illi serviant. *Kyrie, eleison* ad singulas tres Personas mente in cælum erectus diriges petens remissionem peccatorum cordis, oris et operis pro te et aliis: et quia novies repetitur, quot sunt Angelorum chori, ipsorum vocibus tuam conjunges et cor ad illos elevabis. Ad *Gloria in excelsis* miraberis, quomodo peccator in terra aliena canticum Angelorum canere præsumas: tum alios affectus adjunges lau-

dis, adorationis, gratiarum actionis, fidei, spei, amoris, zeli gloriæ Dei, petitionis et obsecrationis, juxta sensum verborum. Hæc autem verba: *Tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus, Jesu Christe,* intensiori affectu caritatis et reverentiæ erga Christum Dominum pronuntiabis desiderans, ut ab omnibus ametur, honoretur, glorificetur.

Hymno absoluto sequitur salutatio populi per hæc verba: *Dominus vobiscum.* Quoties autem ea dices, optabis intimo affectu Ecclesiæ Dei et toti mundo omnem Dei benedictionem, per quam singulis animabus id, quo maxime indigent, conferatur. Dicturus Collectas erubesces, quod mediator inter Deum et populum esse audeas, qui toties alios ad malum pertraxisti. Cum dices: *Per Dominum,* offeres Deo omnia merita Christi cum magna fiducia, quia scriptum est: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Expendes autem verba Orationum, quæ et per se magni ponderis et efficaciæ sunt, et, cum in persona Ecclesiæ a celebrante recitantur, facilius postulata impetrant ob sacrificii præstantiam.

§ 6.

De Epistola, Evangelio et Symbolo.

Absoluto Introitu sequitur instructio populi in fide per doctrinam Prophetarum et Apostolorum in Epistola, per verba Christi in Evangelio, per articulos fidei in Symbolo; quæ omnia mysteriorum sanctificationi, ut nos purgent et præparent, præmittuntur.

Ipsam vero Epistolam et Evangelium lecturus mente elice hunc actum humilitatis: Egone in Ecclesia divina depromam oracula, qui tamdiu sedi in cathedra pestilentiæ? Ego Evangelium promulgabo, qui factis et exemplis Evangelium impugnavi? — Deinde considera beatos nos esse, quia, ut ait Baruch Propheta, *quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* Deus enim voluntatem suam nobis revelavit per Prophetas et Apostolos in eorum libris et epistolis, et per Filium suum in Evangelio. Ideo hæc omnia magna cum attentione et reverentia legenda sunt tamquam sermones Dei gratias ei agendo, quod mundum doctrina sua illuminare et instruere dignatus sit, promptumque animum offerendo ad servanda ipsius mandata tam in prosperis quam in adversis. De hoc

autem nos monent in Epistolæ lectione manus super librum positæ et veluti operi admotæ.

Graduale etiam et cetera, quæ sequuntur, exsequendi desiderium significant et ascensum ad apicem christianæ perfectionis, qui sunt fructus propheticæ et apostolicæ prædicationis. Quidam devotus sacerdos dicebat, se quotidie duabus contionibus interesse elegantissimis et efficacissimis: lectioni nimirum Epistolæ et Evangelii; quas sic audiendas asserebat, ac si Apostolus et Christus præsentes forent et loquerentur, cum firmissimo proposito exsequendi, quod docent. Turpissima enim esset ejus præcepti transgressio, quod ab Apostolo et a Christo ea die auditum fuit; nam videretur Verbi divini statim oblitus esse et tantos contionatores neglexisse.

Initio Evangelii librum et teipsum signabis signo crucis cum tenero affectu erga Christi passionem et mortem. Fit autem ipsum signum in fronte, sede pudoris, ne Evangelium erubescas; in ore, ut palam annunties et confitearis; in pectore, ut illud in corde semper conserves, nec ulla diaboli suggestio fructum ejus impedire queat. In fine librum ibi osculaberis, ubi prius crucem formaveras, ad significandum amorem,

quo ea doctrina amplectenda et exsecutioni mandanda est: ideoque propones factor verbi esse et non tantum auditor, actu ferventissimo amoris elicito erga Deum ejusque legem.

Certis diebus lectionem Evangelii excipit Symbolum, ut fides excitetur, et sicut corde ad justitiam creditur, sic ore confessio fiat ad salutem. Actus igitur fidei exercebis verbis correspondentes et contrarias hæreses detestaberis; Christo item gratulaberis ob ejus gloriam, dum ipsius resurrectio, ascensio et judiciaria potestas commemoratur, et gaudebis, quia regni ejus non erit finis. In illis verbis: *Qui cum Patre et Filio simul adoratur,* Spiritum Sanctum adorabis et intimo animi sensu sanctissimam Trinitatem glorificabis ob singula beneficia naturæ, gratiæ et gloriæ omnibus creaturis concessa et concedenda. Demum cum dicis: *Et vitam venturi sæculi,* spem firmam concipies vitam æternam meritis Christi obtinendi.

§ 7.

De Offertorio usque ad Canonem.

Hactenus instructio fidelium et Missa catechumenorum, qui deinceps adesse non poterant, indicente eis diacono, ut

exirent. Jam sequitur Missa fidelium, et quia hic incohatur actio sacrificii incruenti, majori fervore et igneo pietatis sensu singula verba proferenda sunt. Exordiris autem ab osculo altaris, in quo divinum sacramentum perfici debet, ut hac amoris et honoris exhibitione Dei quodammodo captes benevolentiam. Sed quia Dei amor annexam habet erga proximum caritatem, sequitur populi salutatio tamquam commune amicitiæ signum, quo ostendis te omni odio et dissensione carere; præcepit enim Dominus, non esse offerendum munus nisi prævia cum fratribus, qui aliquid habent contra offerentem, reconciliatione. Astantes etiam mones, ut simul tecum orent, dicens: *Oremus,* et hoc ferventer facies respiciens in cælum ad Deum Patrem, deinde ad teipsum tuumque nihilum, qui, peccator cum sis omnium notarum, æterno Patri Filium suum offerre debes.

Quando patenam cum hostia in manibus accipies, pones in ea cor tuum et omnium circumstantium omniumque fidelium, ut ea quoque Deo offeras hac intentione, quod sicut panis, quem offers, mox convertetur in Corpus Christi, ita cor tuum et omnium fidelium in ipsum Christum per amorem et imitationem transformentur, adeo ut dicere omnes

possint: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Idem repetere poteris in calicis oblatione.

Dum vinum calici infundis, gratias ages Deo, quod sub his speciebus se occultare voluerit pro amore tuo: et cum misces aquam, desiderium excitabis te totum immergendi in abyssum meritorum Christi; atque ad intimam cum Deo unionem suspirabis. In oratione autem: *Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem,* tres veluti mixtiones seu conjunctiones prorsus admirabiles celebrari observabis: primam in humanæ naturæ creatione, cum mortali corpori immortalis anima copulata est; alteram in ejusdem a Verbo facta assumptione, cum duo extrema infinite distantia in unitate personæ conjuncta sunt; tertiam in ejus elevatione ad gratiam et gloriam, ad consortium scilicet et participationem divinitatis, quam ardentissime concupisces.

Quamvis hoc sacrificium unicum sit, duabus tamen partibus constat, Corpore videlicet Christi sub speciebus panis, ejusque Sanguine sub speciebus vini. Ideo pane jam oblato seorsim procedis ad vini oblationem. Utramque vero extendes ad omnes fines, propter quos hoc sacrificium institutum fuit, qui, cum sint maximi momenti, cum summo devotionis fervore hæ

oblationes fieri debent, ac si tu solus esses in toto mundo sacerdos, et ab hoc sacrificio omnium hominum salus penderet.

Subditur brevis precatio: *In spiritu humilitatis,* ex longiori decerpta, quam Azarias unus ex tribus pueris inter flammas fornacis Babylonicæ concepit, animo vere contrito et summæ humilitatis affectu recitanda. Sequitur alia oratio: *Veni, Sanctificator,* qua Deum invocas omnis sanctificationis auctorem, ut non solum sacrificium jam præparatum perficere, sed sua etiam benedictione complere dignetur.

Dum manus lavas, protestaberis, te velle pure ac munde vivere et a minimis etiam defectibus emundari: tum gratias ages, quod Christi Sanguine lotus sis, aliosque affectus elicies verborum sensui conformes.

In oratione: *Suscipe, sancta Trinitas,* non nudam et aridam beneficiorum redemptionis nostræ, quæ ibi commemorantur, memoriam facies, sed quæ intimæ gratitudinis affectum includat. Quare totus in demississimam gratiarum actionem effusus hanc hostiam infinitæ dignitatis te posse offerre gaudebis ad Dei gloriam et ad honorem B. Virginis et omnium Sanctorum, ut ipsi in cælis ante

thronum Dei incensum orationum tuarum pro tua aliorumque salute repræsentent.

Postea memor imbecillitatis tuæ et considerans, quanti momenti sit tantum sacrificium divinæ majestati offerre, ad circumstantium confugiens suffragia ipsos admones, ut pro te orent. Manus autem extendis, ac si omnibus viscera pandas: et rursum jungis, quasi intra pectus receptos complectaris. Ipse vero, qui alios ad orandum hortatus es, secreto quoque oras, ut tuum a Deo sacrificium acceptetur. Porro inter hæc congruos his considerationibus affectus excitabis.

Secretis orationibus absolutis statim clara voce dicis: *Per omnia sæcula sæculorum,* nihil sonans temporale, sed sublime et æternum. Tum populum salutans non te ad eum pro more convertis, quia jam debes a terrenis abductus totus Deo intentus esse. Jubes autem *Sursum corda* attolli, ac si diceres: Elevamini, omnes creaturæ, ad Deum, emergite e fæce terræ et, quæ sursum sunt, quærite, quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. Corda vero ad superna subvecta ad gratias Deo agendas hortaris, quia nihil dignius, nihil magis æquum et salutare, quam beneficiorum memorem esse. Ideo cor tuum expandes ad omnes creaturas et ad omnia beneficia illis collata;

gratiarum enim actio potissima est ad ampliorem gratiam dispositio. Succedit Præfatio, quasi proloquium seu præparatio quædam ad eam actionem, quæ proprie sacrificium continet, in qua Deum impensius laudas advocatis etiam cælestibus spiritibus, ut tecum concinant. Ne tamen temere in Angelorum choros te ingeras, facultatem a Deo petis humili supplicatione dicens: *Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur.* Ita angelicis junctus agminibus, sacrum trisagion psalles cum summa reverentia et fervore, qui tantus sit, ut, quantum fieri potest, supernorum spirituum affectui correspondeat et adæquetur. Si enim *tremunt Potestates,* quæ sunt veluti cæli columnæ, quanto debes horrore ac tremore concuti tu vilissimus terræ vermiculus, qui Deum toties et tam enormiter offendisti? Porro continet hic hymnus tres laudes et duas petitiones. Nam primo laudas sanctitatem, potentiam ac supremum Dei dominium, cum dicis: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Secundo celebras gloriam ejus, quæ in tot creaturis in cælo et in terra tam mirabiliter elucet, his verbis: *Pleni sunt cæli et terra gloria tua.* Tertio magnificas Christum Dominum dicens: *Benedictus, qui*

venit in nomine Domini: et cum hoc dicis, ipsum invitabis in animam tuam affectu omnium Sanctorum. Duæ vero petitiones insunt verbis istis: *Hosanna in excelsis,* quæ bis repetuntur, et illis salutem postulas, et quæ ad eam sunt necessaria, primo a Deo, deinde a Christo. Hic autem hymnus ideo Canoni præmittitur, ut ex ipso admonearis, te in maximi momenti negotio coram throno divinæ majestatis consistere ac veluti in sancta sanctorum introire: et si hactenus oportuit te purum et ferventem esse, jam memineris, te deinceps debere tanto ardore inflammari, ut eo possis omnes circumstantes, immo universum terrarum orbem succendere.

§ 8.

De Canone usque ad Consecrationem.

Hæc pars Missæ Canon dicitur, id est regula, quæ in sacrificii oblatione servanda est. Constat autem, ut testatur Tridentinum Concilium, ex ipsis verbis Domini, ex Apostolorum traditionibus ac Summorum Pontificum institutionibus; nihilque continet, quod non maximam redoleat pietatem et sanctitatem atque offerentium mentes in Deum erigat, ut cum eo conjungantur. Submissa voce recita-

tur, ut per silentium tum gravitas negotii, quod quasi secreto cum Deo tractatur, tum compositus pacatusque animi status, qui ad hanc functionem rite peragendam necessarius est, intelligatur. Ejus verba attente et devote prolata ipsa litterali significatione pios affectus suppeditabunt. Per particulam *igitur* connectitur cum præcedentibus; cum enim tibi Angelorum ministerio, quorum vocibus tuas adjungi in Præfatione rogasti, jam quasi pateat ad cælum via: statim fiducialiter ad thronum Dei accedis et elevatis sursum oculis expansisque manibus preces tuas ad Deum effundis per Christum eum rogans, ut accepta habeat *hæc dona* ab ipso nobis collata, *hæc munera* a nobis ipsi oblata, *hæc sancta sacrificia,* quæ pro peccatis nostris offeruntur. Et primo quidem personam commemoras, cui oblatio dirigitur, nempe Deum Patrem; secundo Mediatorem Christum Jesum; tertio offerentes eorumque affectum; quarto res oblatas, quas petis, ut Deus acceptet et benedicat; quinto eos, pro quibus offertur, Ecclesiam scilicet, Summum Pontificem et alios; sexto ea omnia, quæ consequi hac oblatione desideras: redemptionem, salutem, incolumitatem; septimo beatam Virginem et præcipuos principes curiæ cælestis, quo-

rum suffragia memor tuæ imbecillitatis imploras, ut Deum tibi propitium reddant.

Ut omnium recordari possis, pro quibus orare debes, postquam dixisti: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum,* utque ipsæ preces vim habeant efficaciorem, multum proderit cum Christi Domini cruciatibus illas sociare hunc fere in modum.

1. Pro teipso orabis per Sanguinem pro nobis effusum, ut per illum expieris a peccatis et eas virtutes obtineas, quæ tibi maxime sunt necessariæ, et finalem perseverantiam.

2. Per latus transfixum Ecclesiam commendabis, quæ ex eo orta est.

3. Per caput spinis coronatum Summum Pontificem omnesque principes et antistites.

4. Per vulnus dexteræ manus amicos, consanguineos et benefactores.

5. Per vulnus sinistræ omnes, qui te oderunt vel aliqua molestia aut scandalo affecerunt.

6. Per dextrum pedem transforatum personas et negotia a superioribus commendata.

7. Per sinistrum omnes, qui sunt in peccato mortali, ut in dextram partem transferantur.

8. Per flagella, sputa et alapas ethnicos, hæreticos ceterosque infideles, qui Deum contumeliis afficiunt.

9. Per crucifixionem religiosos omnium ordinum, ut crucem voluntariæ asperitatis libenter ferant.

10. Per sitim eos omnes, qui tuas preces expetunt.

11. Per angorem, quem in horto pati voluit, omnes, qui in aliqua calamitate, periculo, necessitate, tentatione aut molestia versantur.

12. Per mortem et sepulturam justos omnes, ut cum ipso sepulti semper in justitia perseverent.

Speciatim vero pro illis orabis, quorum te Deus meminisse vult, et tu nescis: pro his, quos Deus maxime diligit, licet eorum numerum et nomina ignores; id enim gratissimum illi est, ut amicorum ejus memor sis. Ab his autem orationibus te brevissime expedies imitatus Ecclesiam, quæ paucissimis verbis seipsam, Summum Pontificem et Antistitem omnesque orthodoxos commendat. Neque enim decet privatas causas prolixius quam publicas tractare, præsertim apud eum Principem, qui omnia scit et nos admonuit, ne orantes multum loquamur. Consultius itaque erit pro omnibus ante Missam fusius orare, ut in ipsa brevior sis.

Postquam vero privatæ devotioni satisfecisti, rursum publicas Ecclesiæ preces assumis pro circumstantibus et pro offerentibus, sive præsentes sint sive absentes: et quia sacrificium jam oblatum fuit in expiationem culparum, in gratiarum actionem et impetrationem omnium beneficiorum, jam primarius ejus finis exprimitur hac oratione: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ,* qua protestaris et agnoscis supremum Dei dominium et infimam nostram servitutem ac subjectionem; expansis manibus super oblata veteri ritu, ut ea transferas in Dei potestatem, ipsum exorans, ut *ab æterna damnatione nos eripi jubeat, et in electorum suorum grege numerari.* Tum ipsi commendas sacrificii oblationem, ut eam *in omnibus benedictam,* et inter dona sibi grata *adscriptam et ratam,* sive approbatam et confirmatam, atque *rationabilem,* divinis scilicet rationibus congruentem, ac tandem *acceptabilem,* id est, dignam, quæ non solum ex parte doni, sed etiam ex parte ministri offerentis a Deo acceptetur, non quidem ex nostris meritis habere, sed sua gratia *facere* dignetur. Porro ad illa verba: *Ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi,* actualem et expressam intentionem renova-

bis consecrandi Corpus et Sanguinem Christi per transsubstantiationem panis et vini Christi verbis conficiendam.

§ 9.

De Consecratione usque ad Orationem Dominicam.

Post multas oblationes verbis hactenus expressas sequitur tandem realis oblatio, qua idem Christus incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit. Quod si hactenus necessaria fuit puritas, humilitas et reverentia, multo major nunc requiritur, cum ad tremendum mysterium non sine timore et horrore perficiendum appropinquas. Humilia te igitur, quantum potes, et recordare, quid acciderit Ozæ: tum ea Christi verba tibi ad aurem dici existima: *Ecce appropinquat hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatoris.* Considera te hic Christi personam gerere, totumque hominem internum et externum ad ejus majestatem et sanctitatem compone: et cura, ne quid sit in te dissonum a persona, quam sustines.

Hæc verba: *Qui pridie, quam pateretur,* proferuntur historice et recitative, ut inspicias et facias secundum exemplar, quod tibi a Christo Domino monstratum

est. Cum dicis: *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas,* considerabis, quam puræ debeant esse manus, quæ tantum pignus attrectant, et hinc disces hoc opus esse divinæ omnipotentiæ. Cum oculos in cælum elevas, illuc transferes universas animæ vires et cogitationes. Cum dices: *Gratias agens,* gratias item ages ob hujus sanctissimi sacramenti institutionem. Verba consecrationis prolaturus considera, te ea formaliter et enuntiative proferre in persona Christi. Ipsis autem prolatis penetra oculis fidei id, quod latet sub speciebus sacramentalibus: tum genua flectens aspice iisdem oculis fidei exercitum Angelorum te circumdantem, et cum illis adeo profunda reverentia Christum adora, ut cor tuum usque ad abyssum humilies. Ad elevationem Christum in cruce exaltatum contemplare et ora, ut omnia trahat ad seipsum. Varios etiam virtutum actus eosque intensissimos efficies, nunc hos, nunc illos, fidei, spei, amoris, adorationis, humilitatis et similium, mente dicendo: *Jesu Fili Dei, miserere mei: Dominus meus et Deus meus: Amo te, Deus meus, et adoro toto corde et affectu.* Poteris etiam renovare intentionem, pro qua celebras, et sacrum offerre secundum quattuor fines. Specialiter vero cum

calicem elevas, memor eris cum sensu doloris et lacrimis Sanguinem Christi pro te effusum fuisse, et a te sæpe contemptum: ipsumque adorabis veluti in compensationem præteritorum contemptuum. S. Petrus Martyr in calicis elevatione gratiam petebat martyrii et obtinuit: tu adversitatum incruentum martyrium postulabis.

Ad illa verba: *Hæc quotiescumque feceritis,* passionis et mortis Christi recordaberis, quam consecratio panis a consecratione vini sejuncta repræsentat. Et quia peracta consecratione statim adsunt sancti Angeli et perseverant venerabundi, donec sacrificium sit consummatum, tu horum reverentiam æmulare. Nam si cælum est, ubi est Deus, cælum sine dubio efficitur sacrum altare, in quo tantum peragis mysterium, tuque admirabili summi boni participatione quodammodo deificaris. Quoties vero hostiam tanges aut calicem, Christum complectere et cordi tuo adstringe omni possibili amoris affectu.

Post consecrationem sequitur oratio: *Unde et memores,* qua Christi passionem, resurrectionem et gloriosam ascensionem commemoras, quibus mysteriis excitatur fides, spes roboratur. Sperare enim debes per merita tam beatæ passionis, e

qua omnis beatitudo nostra promanat, te aliquando participem futurum resurrectionis et ascensionis in cælum ac gloriæ sempiternæ. Nec nudam solummodo adfers mysteriorum commemorationem, sed simul cum hostia pura, sancta et immaculata, Corpore scilicet et Sanguine Christi; licet enim propter species sacramentales panem adhuc nomines, non tamen panem, qui prius erat, sed *panem vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ.* Elicies autem actus gaudii propter Christi glorificationem, et cum dicis: *Supra quæ propitio ac sereno vultu,* offeres Deo omnia antiqua sacrificia.

Cum inclinatus Deum rogas, ut sacrificium perferri jubeat in sublime altare suum per manus sancti Angeli sui, ad summam interiorem humilitatem te excitabis et ipsos beatissimos spiritus orabis, ac nominatim S. Michaëlem, ut opem tibi ferant. Cum dicis: *Omni benedictione et gratia repleamur,* ingens desiderium elicies consequendi ex meritis Christi omnia possibilia dona, quibus maxime possis Deum glorificare. In *Memento* mortuorum orabis primo pro consanguineis; tum pro iis, qui tibi causa fuerunt alicujus crucis seu molestiæ; deinde pro benefactoribus; postea pro aliquo recenter mortuo aut specialiter commendato;

demum pro iis, qui neminem habent, cujus suffragiis nominatim juventur.

In illa oratione: *Nobis quoque peccatoribus,* agnosce te peccatorem esse circumdatum infirmitate, et time; licet enim nihili tibi conscius sis, non tamen in hoc justificatus es. Spem igitur erige ob multitudinem miserationum Dei; et magno animi ardore partem aliquam et societatem cum Sanctis tibi donari humillime pete, atque in eorum consortium admitti optando eximiam vitæ sanctitatem pro majori Dei gloria in Christo Jesu Domino nostro. *Per quem,* ais consequenter, *hæc omnia, Domine, semper bona,* panem scilicet et vinum, *creas,* quia per ipsum omnia facta sunt, *sanctificas,* cum in prima oblatione sacrificio sunt destinata, *vivificas,* mediante transsubstantiatione, *benedicis,* quia per hæc sacramenta copiosam acquirimus gratiam, *et præstas nobis* in cibum et redemptionem. Porro hæc verba valde ferventer pronuntiabis, itemque sequentia, quia per Christum, cum Christo, et in Christo est *Deo Patri omnipotenti omnis honor et gloria.* Hic autem gratulari poteris toti sanctissimæ Trinitati ob gloriam, quam habet per Christum: et dum tenes hostiam super calicem, offers Ssmam Eucharistiam, quam sub utraque specie in manibus habes, in

laudem et gloriam Dei, pro omnibus beneficiis, in expiationem culparum, et pro omnium bonorum impetratione.

§ 10.

De Oratione Dominica usque ad Communionem.

Absoluto Canone jam te ad communionem præparare debes facto initio ab Oratione Dominica, quam cum tremore et filiali erga Deum affectu recitabis oculis in Sacramentum intentis, quia Christus simul cum Patre preces tuas audit et exaudit. Septem sunt ejus petitiones, in quibus summatim continentur res omnes a Deo petendæ, et pro quarum impetratione hoc sacrificium offertur. — In prima petitione desiderium excitabis eximiæ tuæ et aliorum sanctitatis, ut gloria Dei augeatur, ut ab omnibus ametur et timeatur, ejusque sanctitas, bonitas, sapientia ubique innotescat. — In secunda optabis, Deum in tua et ceterorum voluntate regnare, simulque petes ad regnum illius feliciter pervenire. — In tertia rogabis, ut omnes homines sic Deo serviant et obediant in terris, sicut ei ab Angelis servitur in cælis numquam peccando et, quæ illi grata sunt, semper ferventissime faciendo. — In quarta

omnia necessaria pro victu, vestitu ceterisque temporalibus postulabis. — In quinta implorata Dei liberalitate pro alimentis ejusdem clementiam pro remissione peccatorum deprecaberis elicito actu contritionis et sinceræ dilectionis omnium inimicorum et aliorum, qui tibi causa fuerunt alicujus molestiæ, pure illos amando propter Deum. — In sexta diffidens de propriis viribus et timens malitiam et inconstantiam tuam petes a Deo, ut te præservet a tentationibus, ne forte in eas inductus ab ejus gratia et amicitia excidas. — In septima a malis culpæ et pœnæ liberari precaberis atque ab omnibus adversitatibus, quas diabolus et mundus contra te moliuntur.

Hæc postrema petitio fusius explicatur in sequenti oratione: *Libera nos, quæsumus, Domine,* in qua mala enumerantur, a quibus postulas liberari, præterita scilicet, præsentia et futura. Mala autem præterita sunt peccata, de quibus scriptum est: *Fili, peccasti, ne adjicias iterum, sed de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur.* Præsentia sunt quotidiana peccata et aliæ calamitates. Futura sunt tentationes et aliæ imminentes miseriæ, quæ sine speciali Dei adjutorio evitari non possunt. Ad hæc impetranda opem flagitas B. Virginis sanctorumque Apo-

stolorum Petri, Pauli et Andreæ et omnium Sanctorum: et signans te signo crucis pacem petis, quam Christus nobis sua passione promeruit.

Sequitur fractio hostiæ in tres partes, quarum unam dum calici immittis, intimam cum Deo unionem postulabis. Pacem populo annuntians triplicem cunctis pacem desiderabis: pacem scilicet uniuscujusque cum Deo, quæ in ejus gratia et amicitia consistit; pacem cum seipso, quæ in concordia appetitus cum recta ratione sita est, ut, quod ista dictat, ille exsequatur; pacem cum proximo suo, ut nemo alteri præbeat offensæ occasionem, sed omnes potius christianæ caritatis officiis sibi devinciat.

Ad primum *Agnus Dei,* elicito actu fidei erga Christum ibi præsentem, qui est vere Agnus Dei pro nobis in cruce immolatus, liberari et præservari petes ab omnibus miseriis spiritualibus, quales sunt habitus pravi, tepiditas in obsequio Dei, inconstantia in bene cœptis. Ad secundum liberari item et præservari petes a miseriis temporalibus, a peste, fame, bello, morbis et persecutionibus, quatenus a servitio et cultu pacifico Dei nos impediunt. Ad tertium pacem postulabis, quam parit bona conscientia, dominium sui omniumque rerum creatarum contemptus.

§ 11.

De Communione.

Recte Psalmographus de Domino loquens dixit: *Et factus est in pace locus ejus;* et Apostolus etiam ait: *Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.* Non ergo mirari debes, si sæpius repetita imploratione docet Ecclesia proxime ante communionem pacem a Deo petere, quæ et omnia bona in se complectitur et dignum Altissimo præparat habitaculum. Hanc petitionem continet prima ex tribus orationibus, quæ communioni præmittuntur. Post quam in secunda remissionem postulas peccatorum et donum perseverantiæ. Tertia vero timorem in te excitat, ne panis vitæ et potus æternæ salutis *proveniat tibi in judicium et condemnationem:* sed mox fiduciam concipies sperans, ut meritis Christi tibi *prosit ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam.* Tum genuflexus Deum adorabis, ardentissimum concipiens desiderium ipsum in sacramento suscipiendi, cum versiculum illum profers: *Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.*

Cum dicis: *Domine, non sum dignus,* confitere indignitatem tuam, sed simul

agnosce Dei omnipotentiam et misericordiam sequentibus verbis: *sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.* Te autem indignum fateberis, primo propter peccata tua, secundo ob vilitatem naturæ tuæ, tertio quia ex te nihil es, nihil habes, nihil potes.

Ante communionem subsiste aliquantulum et præcipuarum virtutum, humilitatis, fidei, spei, caritatis, contritionis, abnegationis et adorationis actus breviter elice, quos sequenti vel simili modo formabis. Quamvis autem longiusculi videantur, si tamen memoriæ bene impressos habebis, fient tibi ex ipso usu et agilitate a Deo tributa adeo familiares, ut quasi in instanti eos mente depromas.

Ita est, Domine Jesu, indignissimus sum, quia omnibus peccatoribus et ipsis damnatis deterior sum, indignus omni bono et dignus omni malo. Fretus tamen pietate et misericordia tua infinita te sumere præsumo. Credo, Domine, quidquid credit a te edocta S. Romana Ecclesia; et quidquid illa damnat, ego pariter damno et anathematizo. Spero a te et peto omnia auxilia necessaria pro consequenda mea perfectione et salute æterna, tuis infinitis meritis et Sanctorum tuorum opitulationi ac communioni innixus. Gaudeo et exsulto de

omni bono et gloria tua, ejusque propagationem quam maximam desidero. Omnia peccata mea, quantum possum, detestor propter te, paratus pro iis plenissime in hac vita satisfacere: ut anima mea purissimum tuæ majestatis habitaculum semper sit. Parco omnibus, qui me aliqua molestia affecerunt aut deinceps afficient, et eos propter te sincere amo. Offero me ad omnia mala pœnæ juxta beneplacitum tuum toleranda, renuntians voluntati, judicio, amori proprio ac libertati, meque tibi resignans cum omnimoda indifferentia. Te denique summum bonum meum suppliciter adoro et precor per illam amaritudinem, quam sustinuisti pro me in cruce, maxime in illa hora, quando anima tua egressa est de corpore tuo, ut miserearis animæ meæ in egressu suo.

Hæc postrema verba addita sunt, ut impetres bonam mortem, et cum ea dicis, Christi Corpus sumere intendes per modum viatici, si ipsa die te mori contingat.

Sumpturus Sanguinem considera te nihil habere, quo digne possis pro Christi Corpore, quod sumpsisti gratias agere, et ideo paris valoris Sanguinem offerens dices magno spiritu verba illa: *Quid retribuam Domino,* cum sequentibus orationibus, quæ sumpto sanguine dici debent.

Quia vero post Communionem aliqua mora intercedit, dum abluitur calix, complicatur corporale, extenditur velum, ea durante eos affectus breviter et ferventer elicies, qui magnis principibus exhiberi solent, cum alicujus domum dignantur invisere. 1. Itaque tantum hospitem adorabis in ejus divinitate et humanitate. 2. Gratias ages, quod ad te tam indignum venire dignatus sit, et pro aliis beneficiis generalibus et particularibus. 3. Splendide eum tractabis præbendo illi omnia, quæ a te desiderat, detestando scilicet omnia peccata; renovando vota et bona proposita; proponendo ab iis abstinere, quæ illi displicent, et facere semper, quod melius est; offerendo te paratum ad omnem crucem et molestiam. 4. Petes a tanto Rege, qui omnia potest, quidquid tibi et aliis vivis et defunctis est necessarium.

§ 12.

De postrema parte Missæ usque ad finem.

Peracta communione, sequitur gratiarum actio, quæ est ultima Missæ pars, incipiens a versiculo, qui *Communio* dicitur, eo quod olim caneretur, dum populus communicabat. Sequentes autem

orationes non solum gratiarum actionem continent, sed etiam postulationem, ut dona accepta in te permaneant et majus quotidie sumant incrementum. Tum dimittitur populus, et dum ille respondet: *Deo gratias,* iterum gratias ages Deo. Ad orationem: *Placeat tibi,* rursum offeres sacrificium purissima intentione et cum omni desiderio triumphantis ac militantis Ecclesiæ, prout ipsa verba sonant. Deinde populo benedicens uberem a Deo omnibus fidelibus benedictionem omniumque cælestium gratiarum abundantiam ex animo precaberis, ut nunc in via, postea in patria sanctissimam Trinitatem omnes glorificent.

Leges demum in fine initium Evangelii secundum Joannem cum reverentia et affectu gratitudinis pro beneficio incarnationis et vocationis ad fidem et cum desiderio gloriæ Dei, ut ab omnibus agnoscatur et glorificetur. S. Augustinus, ut gravissimi auctores testantur, hoc Evangelium aureis litteris conscribendum et per omnes Ecclesias in loco eminenti proponendum esse dicebat. Idem antiqui christiani tanti faciebant, ut plerique collo appensum ferrent tamquam alterum christianæ fidei symbolum ac veluti amuletum contra dæmonum vexationes. In prima hujus Evangelii parte agnosces,

quantus sit hospes, quem sub panis et vini velamine latentem suscepisti, nempe Verbum æternum, per quod omnia facta sunt, Filius Dei Patri consubstantialis, hominum lux et vita, per quem et in quo omnes vivunt et illuminantur. Expendes deinde, ne forte ad te pertineant verba quæ sequuntur: *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Sicut enim homini cæco præsens est sol, sed ipse soli absens est: sic homines terrenis affectibus veluti tenebris obvoluti intimam Dei lucem non vident nec ab ea illuminantur. Hæc etiam verba ponderabis: *In mundo erat, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt,* ne et hæc forsitan in te locum habeant: quod ne contingat, Deum precaberis et timebis. In ultimis denique verbis attendes quod dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri,* et hoc in te adimpleri rogabis; et quia Verbum divinum plenum est gratiæ et veritatis, ex hac plenitudine ubertim haurire satages, quidquid tibi ad salutem et perfectionem est necessarium.

Caput 6.

Quid agendum post Missam.

§ 1.

Discessus sacerdotis ab altari, et quædam exercitia post Missam.

Quia finis bonorum operum debet esse gratiarum actio, ab altari post sacrum discessurus Canticum incipis trium Puerorum, quo ad gratias pro tanto beneficio Deo agendas omnes creaturas invitas. Ipsum itaque recitabis, dum pergis in sacristiam, dum te sacris vestibus exuis, omni possibili devotione atque ardentissimo affectu Deum benedicendi et superexaltandi propter ipsius infinitam bonitatem. Quo absoluto in persona Ecclesiæ, quæ illo concludi sacrificium præcepit, in locum te recipies ab omni strepitu et distractione remotum, in quo clauso ostio cordis tui ceterisque cogitationibus exclusis soli Deo vacabis nec ab eo recedes, donec benedixerit tibi. Sunt quædam orationes variis affectibus plenæ post Missam recitandæ, quas sancti Doctores Thomas et Bonaventura composuerunt. Has si devote et sedate recitaveris ponderatis verbis et sensibus, non erunt inutiles et infructuosæ. At si

eas celeriter percurreris, ut nonnulli solent, statimque recesseris nulla protracta cum Christo mora, vide et considera, quam plene tuæ conscientiæ satisfacias. Nullum certe pietatis sensum habere convincitur, qui non libenter cum Deo manet. Nec valent prætextus negotiorum vel studii, quibus se tepidi excusant; quod enim gravius et utilius negotium, quam de animæ salute cum Deo tractare? Vel quid possunt docere libri, quod non Deus præsens melius doceat? Sicut igitur post prandium necessaria est quies a negotiis et laboribus, ut nativus calor cibum subigat et in substantiam aliti convertat: ita post hoc convivium quies requiritur ab externis et humanis occupationibus, ut divinum Sacramentum vim suam et virtutem in animam diffundat.

Et primo quidem diversarum virtutum elicies actus: fidei, confitendo Christum a te susceptum esse vere Deum et hominem, cujus divinitati et humanitati ea omnia conveniant, quæ credit et docet Ecclesia; spei, sperando ab eo multa bona naturæ, gratiæ et gloriæ; caritatis, elicito erga illum ferventissimo amoris affectu: gaudendo, quod ejus divinitas tantæ sit eminentiæ, ut nullo modo comprehendi possit; dolendo, quod tot peccata contra illum et tu olim commiseris

et passim committantur; humilitatis, considerando, quis venerit et ad quem; ponderando magnitudinem hujus beneficii, attentis peccatis tuis præteritis, statu præsenti et perfectissimo gradu vitæ spiritualis, ad quem tendere debes et a quo adhuc longissime distas; desiderii et zeli, optando, ut cessent peccata, impii convertantur, justi multiplicentur et proficiant, et Deus ab omnibus glorificetur.

Deinde quinque sensus internos animæ circa Dominum præsentem exercebis. Et 1. inspice illum in te, ejus majestatem et splendorem, manusque, pedes et latus cum quinque splendidissimis vulneribus; aspice, quod ipse sit Deus, splendor paternæ gloriæ et figura substantiæ ejus, tam excellentis pulchritudinis, ut omnes ipsum videntes beatos faciat. Concipe affectus nunc reverentiæ et humilitatis avertens oculos a conspectu tantæ majestatis, mox gaudii et exsultationis, tum laudis et gratiarum actionis. 2. Audi, quid loquatur in te, et disce ab eo veram morum emendationem et veras virtutes. 3. Percipe odorem virtutum ejus et post eum curre atque illum imitare; considera quoque, quanta sit fragrantia oblati sacrificii, quod suavissime olet æterno Patri. 4. Gusta, quam sua-

vis sit Dominus, et dulcissimo convivio Corporis et Sanguinis ejus recreatus propone mundi vilissimos cibos numquam amplius degustare; cumque ipse sit summa jucunditas, statue de cetero non affici erga aliquam creaturam. 5. Tange eum et ora, ut perlustret cor tuum et omnia interiora tua, et virtus de ipso exeat ad sanandum et vivificandum, quidquid morbidum et vitiosum in te repererit. Pete etiam humiliter osculum ejus et dic cum sponsa: *Osculetur me osculo oris sui;* et suspira ad intimam cum ipso unionem. Oscula quoque spiritualia figes pedibus manibusque transfixis et ceteris membris, quæ gravioribus tui causa doloribus et vulneribus excruciata fuerunt.

His demum alia exercitia adjunges, vel quæ infra describuntur, vel quæ tibi devotio suggesserit; quibus peractis singulari cura cor tuum et sensus custodire satages, tantam Dei dignationem crebro per diem in memoriam revocabis, piis affectibus et aspirationibus acceptam gratiam conservabis atque in omnibus te ita geres, ut in Christum, quem suscepisti, omnino transformatus videaris virtutum ipsius imitatione, morum gravitate et rerum omnium abdicatione.

§ 2.

Actus amoris post Missam.

Amo te, Domine Jesu, jucunditas mea et requies mea, amo te summum et unicum bonum meum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus meis; et si tu vides me in hoc deficere, saltem desidero amare te; et si satis id non opto, saltem desidero id multum desiderare. Succende, Domine, igne tuo ardentissimo viscera mea, et quandoquidem non nisi amorem petis a me, da quod jubes, et jube quod vis. Nisi enim dederis mihi velle et perficere, peribo utique in infirmitate mea. Sonet vox tua in auribus meis, vox illa dulcissima et efficacissima: Volo; nam si vis, potes me mundare et illuminare, potes me ad supremum amoris gradum elevare. Sicut voluisti pro me pati et mori, ita etiam velis, ut appareat in me fructus passionis et mortis tuæ.

Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; tu enim dixisti: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* O dulcissimum verbum, tu in me, et ego in te! O quantus amor, tu in me vilissimo peccatore, et ego in te, Deus meus, cujus majestas incomprehensibilis est!

Unum est mihi necessarium, et hoc solum quæro: in te vivere, in te quiescere, a te numquam separari. Felix est, qui te quærit; felicior, qui te possidet; felicissimus, qui in hac possessione perseverat et moritur. O dies infelices, quos turpiter transegi diligens vanitatem et recedens a te!

Et nunc, Domine, qui venisti in hunc mundum, ut peccatores salvos faceres, redime animam meam in sola fiducia miserationum tuarum respirantem et aufer a me omnia amoris tui impedimenta. Procul sit a me omnis terrena delectatio, nihil sapiat mihi, nihil me alliciat nisi tu. Vive et regna semper in me, fidelissime amator animæ meæ; in te enim sunt omnia bona, et jam deinceps paratus sum omnia potius mala perpeti, quam ut umquam cessem amare te. O Corpus sacratissimum quinque vulneribus sauciatum, pone te ut signaculum super cor meum et imprime illi caritatem tuam. Obsigna pedes meos, ut sequar vestigia tua; obsigna manus, ut bona semper opera exerceam; obsigna latus, ut ferventissimos amoris tui actus proferam in æternum. O Sanguis pretiosissime, qui omnem hominem abluis et purificas, lava animam meam et pone signum in faciem meam, ut nullum præter te amatorem ad-

mittam. O dulcedo cordis mei et vita animæ meæ, sicut tu in Patre et Pater in te est: ita ego per gratiam tuam unus tecum sim amore et voluntate, mihique mundus crucifixus sit et ego mundo. Amen.

§ 3.

Gratiarum actio post Missam.

Gratias tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis ad vivificum tuæ mensæ convivium. Et quis sum ego pulvis et cinis, ut apponeres erga me Cor tuum, inclinans cælos tuos et descendens, ut Sanguine tuo purissimo sordes meas lavares et deficientem præ fame animam meam non manna de cælo, sed carne tua immaculata reficeres et satiares? Si cæli cælorum te capere non possunt et Angeli non sunt mundi in conspectu tuo, quis ego sum et quæ domus mea, ut ad me venire et indignis manibus meis contrectari ac in me commorari volueris? Quid in me invenisti, Rex tremendæ majestatis, quod a templo gloriæ tuæ traheret te et descendere faceret in abyssum miseriarum?

Vos, Angeli sancti, vos, omnes electi Dei, venite, audite, et narrabo vobis, quanta fecit Deus animæ meæ: cum enim

essem pauper et abominabilis nec auderem oculos meos levare ad cælum præ multitudine iniquitatum mearum, ille me de pulvere suscitavit, erexit de stercore, ut sederem cum principibus et de mensa ejus comederem omnibus diebus vitæ meæ. Gratias illi agite ex me vos, amici mei fidelissimi: ego enim puer sum, non annis, sed sensu, et nescio loqui nec verba invenio, quibus possim, ut par est, tam copiosum munus gratiæ extollere et prædicare. Quis enim amor infinitæ caritati ejus a me reddi potest, qui frigus et gelu dici, non autem amor mereatur? Quæ laus, quæ adoratio, quale obsequium meum erit, quod nullum non reddat infinita ejus perfectio et dignitas et ima ac summa indignitas mea?

Sed tu, Domine, miserator et clemens et immensæ bonitatis, tu nosti figmentum meum nec despicies humillimam gratiarum actionem, quam tibi offero de paupertate mea, et sacrificium laudis meæ honorificabit te. Tua est magnificentia, tua est gloria, et tibi laus in perpetuas æternitates pro tam excelso et incomparabili beneficio. Tibi laudes concinant, tibi mecum gratias agant universi populi, tribus et linguæ, omnes Angeli et Sancti tui: quoniam misericordia tua magnificata est super me, et miserationes

tuæ super omnia opera tua. Jubilent tibi omnes creaturæ, quæcumque cæli, terræ et abyssi ambitu continentur, et laudem tibi perpetuam dicant, quæ a te exiens in te refluat, omnium rerum principium et finem. Jubilent tibi et gratias agant cor meum et anima mea, vires, sensus, potentiæ et omnia membra corporis mei; tibique soli sit honor et gloria, a quo, per quem et in quo omnia: qui es Deus benedictus et laudabilis in sæcula sæculorum. Amen.

§ 4.

Oblatio post Missam.

Servus tuus ego sum, Domine Deus meus, et pro tributo servitutis meæ aliquid tibi offerre vellem, quod majestate tua dignum et acceptabile foret; sed excedit omnem facultatem meam debitum meum, quia tantum tibi debeo, quanti tu vales, qui infinitus es. Et ex me quidem nihil possum, nihil sum; habeo tamen ex gratia tua donum præclarissimum, quod nullo modo recusare potes; habeo dilectissimum Filium tuum Dominum meum Jesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo, et ille in me sit. Quare verba Prophetæ tui aptissime usurpabo et dicam: *Benedic, anima mea, Domino et omnia, quæ intra me sunt,*

nomini sancto ejus. Ipse enim Filius tuus digne pro me nomini tuo benedicet teque amabit et glorificabit; nam intra me sacramentaliter exsistens factus est unum mecum et ego unum cum illo.

Illum igitur offero tibi velut thymiama suavissimi odoris ad maximam tui gloriam et honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, in remissionem peccatorum meorum et totius mundi, ad impetrandum mihi et omnibus, pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitæ temporalis et æternæ, et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens majestati tuæ. Præsta, ut deinceps nec membra nec sensus nec potentias nec vitam habeam, nisi ut te amem et serviam tibi.

Tu sapientia mea, tu lux mea es; tu fortitudo mea et robur meum: doce me, illumina me, corrobora me, ut cognoscam et faciam voluntatem tuam. Offero me tibi in servum perpetuum meque totum resigno in beneplacitum tuum abjecta de me omni cura et sollicitudine. Quidquid mihi evenire permiseris, a divina manu tua amantissime suscipiam. In tempore et in æternitate id volo, quod tu ab æterno

de me decrevisti, sive prosperum illud sit sive adversum. Vivat semper et regnet super me beneplacitum tuum, quod in omni verbo, actione, cogitatione et levissimo quoque motu implere desidero. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Desunt enim mihi verba, quibus explicem affectum meum, sed projicio me in ardentissimam fornacem amoris tui, quo succensus ad me venire dignatus es et mansionem apud me facere. Succende me, Domine, inflamma cor meum, viscera combure, ut jugiter tibi ardeam, in te vivam et in te moriar. Amen.

§ 5.

Petitiones post Missam.

Dulcissime amator, Domine Jesu Christe, qui me Corpore tuo immaculato et pretiosissimo Sanguine refecisti, ignosce, obsecro, indignitati meæ, et quidquid deliqui in hujus Missæ celebratione, misericorditer indulge. Agnosco enim et confiteor præsumptionem meam, quia ad hoc tremendum mysterium accedere ausus sum sine debita præparatione, reverentia, humilitate et caritate. Respice in me oculis misericordiæ tuæ et supple excessu meritorum tuorum meam nimiam imperfectionem.

Heu, quoties venisti ad me, ut pauperrimam animam meam donis tuis locupletares? Ego autem contempsi te et abii in regionem dissimilitudinis post prava desideria cordis mei. Cumque inutiliter dissipata omni substantia ad te nudus et fame consumptus reversus sum, tu suscepisti me et omnium iniquitatum mearum oblitus es. Bonum mihi, quod amasti me amore æterno et infinito: nisi enim infinita esset bonitas tua, nullo modo posses tolerare miseriam meam. Vincat igitur et absorbeat bonitas tua malitiam meam. Riga me lacrimis, quas fudisti pro me; unge me myrrha doloris tui, astringe vinculis, ablue sanguine, cruce erige, morte vivifica. Penetret amor tuus viscera mea et omnem alienum amorem expellat. Abscedat phantasmatum multitudo, meque totum in te transforma, ut in te pereat omnis substantia mea, meque amplius non inveniam nisi in te. Imprime cordi meo amorem crucis et humiliationis, qui, ut me redimeres, nec uno quidem momento sine cruce esse voluisti.

Ne patiaris me sine fructu a te recedere, sed operare mecum mirabilia tua, sicut cum sanctis tuis operatus es: et fac me ambulare in fortitudine cibi istius usque ad montem perfectionis. Succende

me ignita vi amoris tui, ut sim tecum consummatus in unum, omnino abstractus a meipso et ab omni creatura. Omnibus quoque famulis tuis, pro quibus obtuli hoc sacrificium et pro quibus orare debeo seu tu rogari vis, da pacem, salutem et tuam benedictionem. Converte miseros peccatores ad te, revoca hæreticos atque schismaticos, illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus, qui in aliqua necessitate et tribulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis et benefactoribus meis. Miserere omnium adversantium mihi, vel qui me aliqua molestia affecerunt. Succurre illis, qui se meis precibus commendarunt. Da vivis veniam et gratiam, da fidelibus defunctis lucem et requiem sempiternam. Amen.

§ 6.

Aspirationes post Missam ad B. Virginem, Angelos et Sanctos.

Respice in me, gloriosissima Virgo Maria, quia dignum objectum oculorum tuorum nunc factus sum. Loquere pro me bona dilectissimo Filio tuo, qui me Corpore et Sanguine suo suavissime refecit, et offer ei merita tua in supplementum imperfectionis meæ. Gratias age ei pro me et impetra mihi, ut sacramen-

tali sua præsentia non discedat a me, nisi relinquat post se animæ meæ largissimam benedictionem.

Angeli sancti, ministri Dei altissimi facientes verbum illius, aspicite Primogenitum Patris æterni, quem introëuntem in orbem terrarum jussu Patris adorastis, et facite me in eo spiritu et veritate illi servire, qua vos eidem in hac vita ministrastis et nunc in cælesti patria servitis.

Sancti Patriarchæ et Prophetæ, viri desideriorum, conscii secretorum Dei, intuemini promissum ab initio mundi Redemptorem, quem tam ardenter desiderastis et tanto tempore exspectastis nec videre potuistis: facite me toto affectu ad ipsum suspirare, ut reliquæ promissiones ejus fideles inveniantur, et sentiam promissos hujus sacramenti effectus.

Apostoli Jesu Christi ejusque Evangelii clarissimi prædicatores, aspicite in me ipsum dilectissimum magistrum vestrum, quem tantopere dilexistis: et impetrate mihi, ut intimis visceribus ipsum super omnia amem ejusque fervoris particeps fiam, quem tunc experimentaliter gustastis, quando hoc cibo de manu ejus refecti fuistis.

Invictissimi Martyres, Christum respicite crucifixum, pro cujus amore sanguinem vestrum tam libenter fudistis, ip-

sumque orate, ut me semper in cruce vivere et mori faciat, quatenus vicem, quam possum, ejus dilectioni rependam.

Beati Pontifices, dominici gregis pastores, Agnum cernite immaculatum, quem omnipotenti Deo in sacro altari toties immolastis: et vestris precibus facite me tanti sacrificii dignum ministrum, ut meipsum bonis operibus perpetuo immolem tam sacræ oblationi associatum.

Servi fideles Christi, sancti Monachi et Eremitæ, videte dulcissimum Dominum vestrum, pro quo omnia hujus mundi oblectamenta et affectu et re ipsa reliquistis: et facite me pro ejusdem amore prospera mundi despicere, nulla ejus adversa formidare et ad fastigium sanctitatis quantocius pervenire.

Purissimæ Virgines, sponsum vestrum intuemini, cui cum summa exsultatione virginitatem vestram consecrastis: illibatam mihi mentis et corporis puritatem obtinete, ut hujus vitæ cursu peracto mundus ab omni labe in conspectu Domini merear præsentari.

Omnes Sancti et Sanctæ Dei, consolatio pauperculæ animæ meæ, vos præsertim patroni et protectores mei, aspicite magistrum, auctorem et præmium sanctitatis vestræ, ac universam vestram felicitatem intra viscera mea manentem,

mihique ab ipso, cui vos tantopere verbo et exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate, ut vestra semper vestigia sequar et ut ad scopum mihi propositæ perfectionis ac tandem plenus meritis ad vestrum merear consortium pervenire.

Conclusio exercitiorum post Missam.

Anima Christi, sanctifica me: Corpus Christi, salva me: Sanguis Christi, inebria me: Aqua lateris Christi, lava me: Passio Christi, conforta me: O bone Jesu, exaudi me: Intra tua vulnera absconde me: Ne permittas me separari a te: Ab hoste maligno defende me: In hora mortis meæ voca me: Et jube me venire ad te: Ut cum Sanctis tuis laudem te: In sæcula sæculorum. Amen.

Recedo a te modicum, Domine Jesu, sed non sine te, consolatio, felicitas et omne bonum animæ meæ, et me amplissimæ dilectioni tuæ cum omnibus fratribus, amicis et inimicis meis humillime commendo. Ama nos, Domine, et transforma quam simillime in te. Totus occuper in te et propter te, nihilque sit objectum verborum actionumque mearum internarum et externarum nisi tu amor meus. Qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

§ 7.
Cur multi ex frequenti celebratione non proficiant.

Cum multi sint sacerdotes, qui frequenter, multi etiam, qui quotidie celebrant, et nihilominus hujus vivifici ac divini sacramenti admirabiles fructus non percipiunt: necessarium procul dubio est tanti mali causas investigare. Unde enim in cura salutis tanta tepiditas, tanta in studio perfectionis negligentia; cum dicat Chrysostomus, oportere nos ab hac mensa recedere dæmonibus terribiles et ignem omni ex parte spirantes? Si Deus noster ignis consumens est venitque in terras suum ignem ferens, qui ardeat et omnium corda comburat: cur ipso intra nos recepto, nec frigus a nobis expellitur, nec ardorem ejus sentimus? Nonne mortis indicium est vel gravissimæ ægritudinis, ignem habere in sinu et omni calore destitui? Si olim non potuit coram arca Domini statua Dagon subsistere, sed statim corruit et contrita est: cur Christi præsentia amoris proprii tyrannice in anima dominantis idolum non atterit et confringit? Cur tanta Christi demissio superbiæ spiritum non elidit? Cur tanta ejus mansuetudo iram non compescit? Cur tantus amor ad ejus sequenda

vestigia non impellit? Effectus Eucharistiæ sunt: præservare a peccatis, augere gratiam, terrenorum odium infundere, ad æternorum amorem mentem elevare, illuminare intellectum, succendere affectum, conferre animæ et corpori puritatem, conscientiæ pacem et lætitiam, atque inseparabilem cum Deo unionem. Plerique tamen post frequentem celebrationem his effectibus non fruuntur, ad quos nimirum spectat Aggæi Prophetæ objurgatio dicentis: *Comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati.* Defectus autem non in cibo et potu est, sed in prava edentis et bibentis dispositione.

Et hæc prima tanti mali causa est, quia aliud comedimus, aliud esurimus: comedimus panem Angelorum, et immundorum animalium siliquas esurimus, deteriores Israëlitis, qui, dum manna comederent in deserto, ad ollas Ægypti suspirabant. Quid igitur miramur, si fauces amaritudine infectæ mellis dulcedinem non percipiunt? Purganda est anima a delectationibus carnis et sensuum, a tepiditate, ab omni affectu ad creaturas, ut possit divinum sacramentum suos in ea effectus operari. Nam cor terrenis occupatum delectatio sancta declinat, nec datur divina consolatio admittentibus alienam.

Altera causa est omissio necessariæ præparationis; plerique enim ad tantum ministerium accedere non verentur perfunctorie, ex consuetudine, ex motivo humano, lucri potius quam devotionis causa, non considerantes, quanti oneris sit vel semel celebrare. Cum vir apostolici spiritus B. Joannes Avila quemdam sacerdotio paulo ante initiatum immatura morte decessisse audisset, statim quæsivit, num aliquando celebrasset; respondenti vero semel dumtaxat: Multum, inquit, deferet ante Judicem. Timere itaque oportet, quia nemo digne sacerdotio fungi, nemo hujus sacramenti fructus percipere potest, nisi, quantum fert humana fragilitas, se ad illud disponat ea puritate, amore et devotione, quæ supra a nobis explicatæ sunt.

Tertia demum causa est, quia multi sacro peracto ad exteriora statim divertunt nec sinunt, ut sacramentum suam in eis virtutem exerceat. Isti revera gratiam Dei in vacuum recipiunt nec de mensa cælesti fructum reportant; quia tantum Dominum ad se venientem indigne excipiunt nec reverentur aut gratias agunt, immo protinus ab eo recedunt ipsumque contristant, majestatem ejus et incomprehensibilem dignitatem parvi pendentes nec advertentes, quanta sit fœdi-

tas, vilitas et miseria ipsorum, ad quos venire dignatus est. Quod si adhibita omni diligentia ad digne et devote celebrandum contingat, aliquem hujus convivii fructibus minime perfrui, id admirabili sapientiæ Dei adscribendum est, qui hoc permittit, ut suæ industriæ non tribuat homo hoc gratiæ donum, sed caute illud custodiat et se illo semper indignum profiteatur.

Caput 7.

Praxis celebrandi, cum quis prolixius orare non potest.

§ 1.

De præparatione.

Quamvis humana negotia divinis functionibus nullo modo æquari, necdum præferri debeant; quia tamen sunt aliqui sacerdotes publicis utilitatibus inservientes, qui necessariis et inevitabilibus occupationibus ita aliquando detinentur, ut prolixius orare nequeant: brevem illis et expeditam praxim proponere necessarium duxi, qua uti possint, cum celebrare voluerint, ne minus digne divinum sacrificium offerentes ejus fructibus priventur. Hæc autem tria tempora complecti-

tur: id quod Missam antecedit, id quo perficitur, et quod proxime subsequitur.

Ante Missam præmittenda præparatio duplex, remota et proxima. Pro remota hæc servanda. Vespere præcedenti cogitet, se die crastina hostiam salutarem omnipotenti Deo oblaturum, eique cogitationi indormiat. Addat brevem aliquem affectum reverentiæ, amoris et desiderii. Sequenti die in eadem cogitatione et affectu evigilet caveatque diligenter, ne animus ita se negotiis immergat et ad externa dilabatur, ut, cum tempus celebrandi advenerit, ad se revocari et recolligi non possit. Proxime ante sacrum terrenis omnibus cogitationibus abjectis omnique seposita rerum agendarum sollicitudine mentem erigat ad cælestia. Perpendat, qua devotione se sentiat ad celebrandum incitari, quo fine moveatur. Conscientiam excutiat et, si aliquam ei maculam inesse deprehenderit, sacramentali confessione eluat cum intimo doloris sensu et firmo proposito emendationis. Tum breve aliquod tempus sumat, quo fidem mysterii excitet, caritatem accendat, passionem Domini commemoret, dirigat intentionem et Dei opem sibi et aliis flagitet. Auxilium quoque beatæ Virginis et Sanctorum ferventer et humiliter implorabit. Horum ac-

tuum et affectuum formulas supra descripsimus cap. 4., quas sibi quisque in brevissimas aspirationes redigere poterit pro suo captu et devotione.

§ 2.

De celebratione.

Missæ celebrationi tres comites adjunges, reverentiam, attentionem et devotionem. Reverentia omnes motus exteriores componit, ut modeste graviterque fiant præscriptis cæremoniis exactissime servatis summaque adhibita humilitate, quæ omnino necessaria est hostiam immaculatam offerenti in conspectu Dei et Angelorum. Attentio mentem coërcet et iis, quæ aguntur, affigit, ne ad alia defluat et evagetur. Devotio voluntatem inflammat, ne languide et ex consuetudine sacris operetur, sed cum ingenti fervore sollertique studio Deum placandi et colendi. Quia vero animus parum tenax recti facile distrahitur, quibusdam quasi vinculis adstringi debet et in se retineri, qualia sunt a me supra proposita capite 5., quæ, ut ibidem notavi, brevitati Missæ nullum afferunt impedimentum.

Sunt etiam aliqui, qui in septem veluti stationes Missam partiuntur, ut in singulis

congruos excitent affectus et renovent attentionem. — Prima dicitur *contritionis,* quæ ante gradus altaris peragitur, ubi sacerdos tamquam reus se summi Judicis tribunali corde contrito præsentat et generali confessione noxas expiat. — Secunda *glorificationis,* quæ Missæ Introitu, Angelorum cantico et reliquis usque ad Epistolam continetur. — Tertia *doctrinæ* sive instructionis, quæ Epistolam et Evangelium complectitur, monita scilicet salutis a Prophetis, ab Apostolis et ab ipso Christo nobis tradita et cum ingenti reverentia suscipienda. — Quarta *fidei,* quæ Symbolo absolvitur. — Quinta *oblationis,* hostiæ salutaris oblationem continens omniumque fidelium, pro quibus oramus et offerimus, commemorationem. — Sexta *communionis* ab illis verbis *Communicantes* usque ad Postcommunionem, qua sacerdotis animus in sublime erigitur variisque affectibus ad divinam unionem, quæ communione peragitur, se disponit. — Septima *gratiarum actionis* a Postcommunione usque ad finem. Porro in singulis stationibus varii affectus excitari possunt, raptim quidem et breviter; sed brevitatem intensio affectuum atque ardor devotionis compensabunt.

§ 3.
De gratiarum actione.

Quattuor post Missam præstanda sunt, quorum primum et præcipuum est gratiarum actio, secundum oblatio, tertium petitio, quartum propositum digne coram Deo ambulandi. Gratiarum actio quanto exactius fiet, tanto erit copiosior oblati sacrificii fructus. Sicut enim ingratitudo fontem divinæ largitatis exsiccat, ita gratitudo torrentem aperit cælestium benedictionum. Potest autem hic affectus multis et variis modis excitari, quos unctio suggeret, et ingeniosa pietas excogitabit. Hoc unum est, quod a nobis exspectat Deus, ut grati simus et memores beneficiorum ejus. — Sequitur oblatio, qua par pari Deo reddere sacerdos potest, Filium ejus unigenitum et consubstantialem ei offerendo. Seipsum quoque offeret Patri et Christo holocaustum acceptabile in odorem suavitatis: et quo gratior sit oblatio, merita ei addet B. Virginis et omnium Sanctorum ac ipsius Christi, qui est salus, redemptio et tota fiducia nostra. — Quia vero cum Filio omnia nobis Pater donavit, ipsum pro suis et aliorum necessitatibus humiliter et ferventer deprecabitur. Horum actuum formula in promptu habenda erit

potestque ex his excerpi, quæ superiori capite descripta sunt. — Tandem concludet efficaci proposito eundi de virtute in virtutem in conspectu Dei, donec ad apicem christianæ perfectionis perveniat.

§ 4.

Aspirationes post Missam sæpe per diem repetendæ.

Quis me separabit a caritate tua, Domine Deus meus? Non timor mortis, quia tu es vita mea: non amor mundi, quia ipsum sperno et omnes pompas ejus: non tribulatio, quia tu, dum tribulor, mecum es: non fames, non nuditas, non paupertas, quia tu es cibus meus, operimentum meum et divitiæ meæ: non persecutio, non gladius, quia hæc dulcia mihi sunt propter te: non creaturæ, quia ante te nihil sunt.

Quando educes me de isto carcere, cui te relicto adhæsit anima mea: quando trahes me post te, captum specie tua et pulchritudine tua? Quando mihi et toti mundo mortuus ero, ut in te solo vivam, et tu vivas in me? O si semper te amarem, te semper possiderem, a te numquam discederem, in te prorsus converterer!

Quid possum extra te desiderare, cum in te sint omnia bona? Nimis avarus est, cui tu non sufficis.

O amor, qui omnia potes, quando facies, ut diligam te toto corde, tota anima, totis viribus?

Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei, quia tu es plenitudo mea, omne bonum et desiderium meum.

Refice, Domine, esurientem animam meam, accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præsentiæ tuæ.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima et creata in contemptum et oblivionem.

Erige cor meum ad te in cælum, et ne permittas me vagari super terram.

Penetret quæso hujus sacramenti virtus omnia intima mea, et quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est, mortificet et eradicet.

In te, Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea: tædeat me gaudii, quod est sine te, amara mihi sit omnis quies, quæ non est in te.

Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios, qui me succendant et,

quidquid terrenum in me est, comburant et consumant, ut igne inexstinguibili caritatis tuæ ardeam, et vetus in me homo totus deficiat.

Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quæ me transformet in te et in te absorbeat ac me tecum unum efficiat.



Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Joh. 6, 57.



APPENDIX I.

DE

EFFECTIBUS, FRUCTU ET APPLICATIONE

SANCTISSIMI SACRIFICII MISSÆ

TRACTATUS ASCETICUS

AUCTORE

P. GASPARE DRUZBICKI S. J.

Procœmium.

Non est præsentis instituti mei exactam conficere disputationem de sanctissimo Missæ sacrificio, sed tantum persequi breviter et practice propositum est, qui sint effectus seu fructus hujus sacrificii, tum quomodo et quibus applicari ab offerentibus possint ac debeant; est enim hac in re tam errorum quam damnorum spiritualium satis, quorum præci-

pua causa est ignorantia. Hanc ut depellam et qua erroribus, qua damnis occurram, laboro; si id commode fecisse cui videbor, is rite fructibus angelici hujus ministerii utatur ac Deum laudet; sin autem minus commode progressus fuero, meos ille et errores corrigat et defectus suppleat, ut pariter cum ipso et recte verum sapiam et plene Deum communem Dominum laudem. Hæc breviter de instituto dixisse sufficiat; jam ipsum institutum deinceps exsequar.

Caput 1.

Quid sit sacrificium Missæ.

Sacrificium Missæ quid sit, patebit ex definitione sacrificii simpliciter. Est igitur sacrificium oblatio externa legitima auctoritate instituta, qua res aliqua sensibilis immutatur immutatione reali, per ministrum legitimum, legitimo loco et ritu, facta Deo vero, ad protestationem ejus tam in nos, quam in res omnes summi et absoluti dominii nostræque et rerum omnium ad ipsum plenæ subjectionis. Atque ita sacrificium Missæ hoc ipsum est, nempe est oblatio novæ legis externa, a Christo Domino instituta, qua Christus ipse sive Corpus et Sanguis ejus, in

quantum sub speciebus panis et vini virtute consecrationis ponitur, realiter immutatur ac immolatur per sacerdotem legitimum, legitimo loco et ritu, facta Deo vero ad protestationem ejus supremi in omnia dominii etc.

Caput 2.

Quænam reperiantur in sacrificio Missæ.

Ex definitione sacrificii Missæ jam data colligi potest, quænam concurrant, quæ requirantur, quæ reperiantur in sacrificio Missæ; reperiuntur ergo hæc:

1. Persona, cui fit sacrificium, quæ est Deus, et quidem verus; nam sacrificium factum falso Deo non sacrificium, sed sacrilegium et idololatria est; unde etiam is, cui sacrificium offertur, solus Deus potest esse verus; nulli enim alii, qui Deus non est, sacrificium offerri potest, sed honor sacrificii est unus ex his modis colendi Deum, qui sunt incommunicabiles cum omni creatura, sed soli Deo vero debentur, sicut et adoratio proprie dicta.

2. Persona, cujus nomine fit sacrificium, et hæc quadruplex esse potest, licet diversimode. Prima est Christus ipse, qui in hoc sacrificio non tam est persona, cujus nomine offertur, quam potius

est persona offerens primario ac principaliter; dici tamen potest, quod in ejus persona offeratur, quia vere sacerdos minister est ejus et personam ipsius exprimit, cum hoc sacrificium offert ac peragit. Secunda persona, cujus nomine hoc sacrificium offertur, est Ecclesia; est enim sacrificium hoc publicum, publico et communi, hoc est totius Ecclesiæ nomine factum. Unde sacerdos est vicarius et legatus Ecclesiæ in hoc sacrificio. Tertia persona est sacerdos ipse ac minister hujus sacrificii, qui non solum est persona offerens, sed etiam persona, cujus nomine offertur, ipse enim sacerdos suo etiam nomine offert id, quod offert. Quarta persona, cujus nomine offertur hoc sacrificium, est ille vel sunt illi, cujus vel quorum nomine in particulari offertur a sacerdote: sive sponte propria sacerdotis sive prece, imperio aliterve ad id ille inducatur, (ad quod quartum personarum genus revocantur ii etiam, qui cooperantur quique intersunt sacrificio, dum peragitur) idque sive ii sint vivi, sive mortui, sive sint in gratia, sive extra gratiam, immo etiamsi sint Beati in cælo, juxta certum intelligendi modum, de quo inferius dicetur.

Præter ista personarum genera reperiuntur aliæ res in sacrificio eodem. Ac

primo res, quæ offertur seu immolatur, et hæc est Christus ipse, sive Corpus et Sanguis ejus non simpliciter et absolute, ut est Christus in propria specie, sed ut in speciebus panis et vini consecrationis virtute ponitur; ut talis enim Christus sensibilis est et realiter immutatur ac immolatur, quod est ad sacrificium necessarium. Est deinde in hoc sacrificio sive intervenit persona offerens, quæ est duplex. Prima et principalis ac per se est Christus, secunda est sacerdos, instrumentalis ac ministrans.

Reperiuntur præterea in hoc sacrificio actio sacrificans, sive sacrificativa et immolativa ac immutativa realiter rei oblatæ, quæ quidem actio consistit primo per se essentialiter in consecratione, quatenus per eam Corpus et Sanguis sub panis ac vini specie vi verborum consecrationis separatim ponuntur, corpus quidem tamquam occisum, sanguis autem tamquam effusus (esto utrumque utrobique sub utraque specie sit realiter præsens, per concomitantiam, sed non quantum ex vi verborum) atque ita mors Christi Domini perfectissime repræsentatur; secundario vero, essentialiter tamen hæc ipsa actio essentialiter consistit in consecratione eadem, quatenus per eam panis et vinum desinunt esse, ita ut

ex eorum desitione ac destructione reproducatur Christi Corpus et Sanguis modo dicto; quæ species panis et vini ita requiruntur hic, ut nisi sub eis et ex eis fiat prædicta Corporis et Sanguinis Christi reproductio, sacrificium vel sit nullum, vel non sit a Christo institutum.

Reperitur ad hæc in hoc sacrificio effectus seu fructus sacrificii, qui multiplex est, ut suo loco videbimus. Reperitur et applicatio ejusdem effectus atque fructus. Reperitur modus producendi et applicandi hunc ipsum effectum atque fructum.

Alia, quæ reperiuntur in hoc sacrificio, ut ritus, oblationes, cæremoniæ, ratio sacramenti sive cœnæ atque communionis, omitto in præsenti, quia ad institutum meum non serviunt, qui solam rationem sacrificii persequi proposui: immo solum ejus fructum atque applicationem mihi explicandam assumpsi.

Caput 3.

Qui sint effectus, fines, fructus, officia sacrificii Missæ.

Non quæro, quotuplex sit sacrificium Missæ in entitate sua; constat enim, in nova lege unicum tantum quoad moralem entitatem esse sacrificium, quod

Missam dicimus latine, græce Liturgiam. Quod sacrificium sicut et nova lex atque Ecclesia Christi tota in locum veteris legis atque Synagogæ, ita in locum sacrificiorum omnium legis veteris successit atque inde fit, ut unicum licet in se sit, omnium tamen legis veteris sacrificiorum virtutem, efficaciam, officia, fines, effectus fructusque producat et in se contineat; quæ omnia ideo in unum coagmento, quia omnia idem sunt in præsenti et quia, dum deinceps unam ex his aliquam vocem usurpabo, omnes usurpasse existimari volo. Sacrificia ergo veteris legis erant quadruplicia, seu ad quattuor fines instituta: 1. In recognitionem dominii divini nostræque subjectionis declarationem, et talia sacrificia vocabantur *holocausta:* quod tota et integra res in eis combureretur in honorem Dei, tamquam supremi et absoluti omnium Domini. 2. In gratiarum actionem pro beneficiis divinitus concessis, et talia sacrificia dicebantur *hostiæ pacificæ.* 3. In impetrationem aliquorum beneficiorum, saluti aliquo modo vel proxime vel remote utilium, et talia etiam sacrificia vocabantur *hostiæ pacificæ.* 4. In satisfactionem pro peccatis et pro pœnis peccatori infligendis, et talia sacrificia dicebantur *hostiæ pro peccato, propitiatoria,*

hiliastica. Pro his quadruplicibus legis antiquæ sacrificiis unum hoc sacrificium Missæ institutum est a Christo in nova lege, atque ita Missæ sacrificium est *latreuticum,* est *eucharisticum,* est *impetratorium,* est *propitiatorium* sive *hiliasticum.* Addi potest, quod sit etiam *honorarium* seu *honorativum,* non honore cultuque *latriæ,* qua ratione in solius veri Dei honorem offertur, sed honore quodam minore, v. g. *duliæ,* qua ratione etiam in honorem Sanctorum dirigitur, etsi tunc quoque soli Deo (quatenus sacrificium) immolatur ac offertur, quem sacrificii Missæ usum perpetua praxis Ecclesiæ docet, licet forte hic usus ad secundum revocari possit. Potest etiam addi, quod sit repræsentativum utriusque sacrificii Christi, tam incruenti in cœna ultima, quam cruenti in cruce a Christo peracti; repræsentatur enim et commemoratur tota illa res gesta a Christo, præsertim in cruce. Ex dictis

Colligi potest 1. multiplex sacrificii Missæ effectus. Primus est honoris exhibitio divinæ majestati tanta et talis, quanta et qualis nulli alteri præterquam soli Deo vero impendi potest. Secundus gratiarum actio eidem Deo pro beneficiis ejus sive universaliter omni creaturæ, sive particulariter alicui personæ con-

cessis. Tertius est impetratio gratiarum varii generis ab eodem Deo per et propter dignitatem sacrificii. Quartus est propitiatio et placatio iræ divinæ aversioque pœnarum peccatis debitarum tam vivis, quam mortuis fidelibus capacibus. Quintus est exaltatio ejusdem Dei cum honore alicujus Sancti jam cum Deo regnantis in beatitudine cælesti, ita ut sacrificium Deo soli competens honor, Sancto propter Deum et Deo propter Sanctum sanctitatis ejus auctorem ac fontem cedat. Sextus repræsentatio rei a Christo gestæ in cruce, cum se in sacrificium cruentum Patri pro salute mundi obtulit.

Colligi potest 2. In quolibet sacrificio Missæ a sacerdote quolibet sex aut quinque ad summum intentiones haberi debere. Prima intentio esse debet honorandi Deum tamquam principem et principium vitæ essentiæque tam nostræ quam omnium rerum creatarum, consequenterque absolutum Dominum vitæ, necis nostræ etc. Hæc intentio est et esse debet invariabilis semper. Hæc intentio prima distingui etiam bifariam (atque utiliter sane) potest ita, ut sacrificium Missæ offeramus Deo affectu adoratorio: intendendo scilicet per sacrificium adorare Deum ut principem et principium omnium atque absolutum Dominum jure auctoris et con-

ditoris in creaturam, deinde affectu (ut sic loquar) dignificativo, quo recognoscamus et honorare intendamus Deum tamquam ens dignissimum et tale, cui ratione dignitatis debeatur honor et subjectio omnis possibilis ab omnibus creaturis, etiam cum ipsarum perditione conjunctus.

Secunda intentio est, repræsentandi Patri æterno Christi cruentum incruentumque sacrificium meritaque illius offerendi et per hoc gratias toti universo, præcipue Ecclesiæ et aliquibus in particulari obtinendi. Hæc intentio semper esse debet juxta illud: *Hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Tertia intentio est gratias agendi offerendique Deo pro beneficiis ab eo collatis, sive creaturis in communi, sive Beatis in cælo, sive Ecclesiæ in terra, sive tibi uni, sive certis aliquibus, idque sive rogatus sis vel obligeris vel sponte inclinatus sis ad hanc gratiarum actionem. Hæc intentio, saltem quatenus nomine Ecclesiæ gratiæ aguntur pro beneficiis, adesse semper debet, semper enim Ecclesia intendit agere gratias per hoc sacrificium Deo pro beneficiis, esto aliquando aliquid aliud signantius videatur velle v. g. impetrationem doni alicujus, vel auxilium animarum in purgatorio.

Quarta intentio est postulandi gratias et impetrandi, sive nomine gratiarum intelligantur merita, sive actuales gratiæ spirituales, sive quæpiam alia dona, etiam temporalia, qua de re fusius et distinctius infra.

Quinta intentio est propitiandi Deum satisque faciendi, vel potius satisfactiones Christi applicandi iis, qui aliquas pœnas temporales debent Deo pro suis peccatis jam alias remissis; sive is sit ipse sacrificans, sive sint alii vivi fideles, sive etiam mortui fideles indigentes et capaces: quales sunt animæ purgatorii. Hæc intentio semper etiam haberi debet a sacerdote, non solum in communi Ecclesiæ intento, sed etiam in particulari ab ipso sacerdote, prout ab ipso sacrificatur atque offertur sacrificium ex natura sua propitiatorium ac sacrificatorium; alioqui nisi adfuerit hæc specialis applicatio, virtus satisfactoria et propitiatoria Missæ sacrificii remanebit magna ex parte inutilis et inapplicata tantumque defluet ad Ecclesiæ thesaurum. Hæc intentio applicandi vim satisfactoriam sacrificii Missæ potest fieri vel ab Ecclesia ipsa, sive a sacerdote nomine Ecclesiæ, cujus est legatus ad Deum, vel ab ipso sacerdote nomine suo proprio, vel ab eodem sacerdote nomine alicujus alterius, qui sacer-

dotem inducit ad sacrificandum pro suis vel pro aliorum vivorum et mortuorum peccatis ac pœnis. Intentio Ecclesiæ applicans vim satisfactoriam sacrificii seu pro vivis seu pro defunctis semper est neque illa dependet a directione sacerdotis alia, nisi ab illa sola, qua sacerdos velit facere, quod facit Ecclesia. Intentio sacerdotis sub ejus nomine proprio, vel sub nomine alieno, a quo ad id motus supponitur, non semper est, sed sæpe negligitur per inscitiam atque incuriam, non absque damno eorum, pro quibus vis satisfactoria sacrificii Missæ specialiter applicari vel potuit vel debuit. Atque hujus rei ratio habenda est diligens ab iis, qui et pro suis et pro aliorum pœnis temporalibus hujus alteriusve vitæ satisfacere volunt. Hæc enim satisfactio efficacior et certior est quam indulgentiarum, saltem propter conjunctionem cum tam nobili actione, qualis est sacrificii, et cum tam nobili re sacrificata, qualis est Christus ejusque Corpus et Sanguis. Atque ita bene faciet sacerdos, si sacrificaturus vim satisfactoriam sacrificii distincte partiatur et explicite applicet partem communem et Ecclesiæ reservatam his, quibus Ecclesia intendit applicando; partem vero sacerdotis personæ cedentem applicando vel suæ personæ pro-

priæ, hoc est, pro pœnis debitis suis peccatis vel personæ alienæ (vivæ aut mortuæ, uni aut pluribus), prout cui applicare vel vult vel tenetur. Et quia sæpe contingit personas istas vel non indigere, ut sunt Beati, vel incapaces esse, ut in peccato mortali siti aut damnati, ideo bonum est, ut sacerdos, dum hanc partem virtutis satisfactoriæ sacrificii applicat alicui certæ personæ, simul applicet alteri atque alteri ex suppositione, si prior non indigeat vel capax non sit.

Sexta intentio est honorandi Sanctum in Deo, sive Deum in Sancto aliquo, cujus celebratur memoria in Ecclesia, vel cujus intercessio adhibetur in sacrificio, ut in Ecclesia fieri nemo non novit assidue. Hæc intentio etiam haberi potest partim ab Ecclesia, seu nomine Ecclesiæ a sacerdote et hæc intentio semper fit, ut supra in simili dictum, partim a sacerdote vel aliquo alio, qui sacerdotis opera utitur hac in re, et de hac intentione sic est discurrendum, ut in simili proxime discursum est proportionaliter. Hæc intentio sexta potest coincidere cum secunda, ut alias notavi.

Caput 4.

Unde sit in sacrificio Missæ vis impetrativa et propitiativa.

Non est quæstio, unde sit vis honorativa Dei, vel gratiarum actoria eidem pro beneficiis; res enim per se nota est, cum id natura sacrificii ut talis sonet. Neque etiam quæstio est, an sacrificium habeat vim impetrandi aut propitiandi, cum id quoque in catholica doctrina sit certum (quidquid ganniant hæretici) et Paulus diserte dicat: omnem pontificem seu sacerdotem ideo assumi, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis; idemque patet ex verbis Christi Domini Mat. 26., Luc. 22. de Christi Domini, hoc est, de Missæ sacrificio. Sed est quæstio præsens, unde sit hæc virtus sacrificio Missæ? quod ut explicem,

Nota 1. dicta cap. 2 in sacrificio reperiri personas multiplices: quoad præsens attinet, reperitur prima persona Christi, qui est primarius et principalis offerens (esto non proximus). Secunda persona Ecclesiæ, quam refert sacerdos, qui ut legatus personam sui principis repræsentat. Tertia persona sacerdotis ipsius, qui offert estque offerens instrumentarius, vicarius, proximus. Quarto potest

his accenseri persona particularis, ad cujus intentionem seu cujus nomine fit sacrificium a sacerdote. Et quinta etiam addi potest persona, pro qua fit sacrificium, vel etiam causa, ut cum amicus pro amico, mater pro filio curat offerri sacrificium Deo a sacerdote.

Nota 2. item ex dictis supra cap. 2 in sacrificio reperiri primo ipsam actionem sacrificandi, secundo reperiri rem oblatam seu eam, quæ offertur in sacrificio. Actio sacrificandi primario fit a Christo, qui seipsum in sacrificio immolat, ut fecit in cœna ultima. Instrumentarie ac proxime fit a sacerdote ministro, qui in persona Christi loquitur et loquendo sacrificat: *Hoc est enim corpus etc.* Res oblata seu res, quæ offertur, est ipse Christus Dei Filius, verus Deus, etc.

Nota 3. dupliciter dici vel cogitari posse, quod sacrificium operetur aliquid sive impetrando, sive propitiando: 1. quidem ex opere operato, 2. vero ex opere operantis. Ex opere operato sacrificium efficit aliquid (impetrando vel propitiando) vel efficere dicitur, quando ex hoc solo, quod sacrificium oblatum est externo reali opere, efficit aliquem effectum in subjecto (v. g. sacrificante sacerdote, sive in eo, pro quo sacrificium fit) nulla habita ratione dignitatis vel devo-

tionis dispositionisve actualis in ipso subjecto, modo tamen subjectum sit capax, hoc est rationale, non in peccato mortali et non in termino vitæ aut mortis æternæ: ad eum modum, ad quem sacramentum Eucharistiæ sumptum aut datum infanti baptizato vel justo dormienti operatur in eo effectum gratiæ ex opere operato, sine ullo respectu ad dispositionem actualem devotionemque tam dantis, quam cui datum est; præcipue vero sine ullo respectu ad dispositionem et devotionem dantis. Operari autem hoc modo tam sacramentum quam sacrificium certum est: tum ex Scripturæ locis cit. tum ex analogia aliquorum sacrificiorum veteris testamenti, quæ ex opere operato delebant immunditiam legalem ignoranter contractam, de quo habetur diserte Lev. 4; quam analogiam inter novæ legis et veteris sacrificia sacramentaque agnoscit Apostolus Hebr. 9; tum quia alioqui, quotiescumque sacerdos sacrificans esset in peccato, licet reliqui homines vivi aut mortui essent in gratia et capaces, ex illo sacrificio sic oblato nihil fructus redundaret in homines justos et animas defunctorum. Non enim redundaret ex opere operato, ut supponitur, non ex opere operantis, quia sacerdos in peccato esse et potius peccare supponitur

quam impetrare; quod tamen et praxi totius Ecclesiæ repugnat et Tridentino dicenti, nulla dignitate et malitia offerentium inquinari posse sacrificium Missæ et denique bonitati ac providentiæ Christi, quia non satis providisset saluti utilitatique fidelium, si sacrificium hoc nonnisi dependenter a dispositione devotioneque operantis sacerdotis operaretur impetrationem ac propitiationem: qui tamen expresse dicit Mat. 26, *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* hoc ergo ipso, quod sanguis iste novi testamenti effundetur, in remissionem peccatorum effundetur eritque hæc effusio (effundi vero sanguinem est immolari) propitiatoria, ac proinde non dependebit ab effundentis dispositione, sed ab effusionis ipsius exercitio, hoc est ab opere operato. Ad quod etiam reducuntur illa Christi verba de sacramento Joh. 6, ubi Christus manducationi carnis suæ vitæ æternæ efficientiam in manducantibus promittit, non manducationi autem mortem æternam, independenter a ministris sacramenti. Est vero hujus sacrificii quoad hoc eadem ratio cum sacramento Eucharistiæ.

Jam vero ex opere operantis sacrificium habet vim impetrandi ac propitiandi, quando ex eo, quod a tali persona

ita disposita, ita devota actualiter præsertim sacrificium peragitur, tales vel tales gratias impetrat peragenti vel ei, pro quo peragens intendit tantum vel tantum de pœna temporali remittitur etiam peragenti vel ei, pro quo peragens intendit. Pro quo intelligendo uberius

Nota 4. actionem sacrificandi seu sacrificationem esse actionem quamdam, et quidem honestam, et in Missæ quidem sacrificio esse supernaturalem, esse virtutis, immo virtutum excellentium atque ita plane eum, qui hanc actionem exercet, posse eosdem effectus percipere hujus actionis, quos percipit, qui aliquarum aliarum virtutum actus exercet; par enim est omnium virtutum quoad hanc effectuum productionem ratio. Porro omnis virtutis actio tres effectus potest producere. 1. Meritum, seu potest operari per modum meriti de condigno, aut congruo, prout est vel non est in gratia operans illum actum. 2. Satisfactionem, seu potest actio virtutis operari per modum satisfactionis; quolibet enim veræ virtutis opere possumus pro peccatis satisfacere nostris, aut alienis, vivorum, mortuorum, præsertim quando illud offerimus Deo ad hunc satisfaciendi finem. 3. Impetrationem, hoc est actio virtutis potest operari per modum impetrationis; quolibet enim

virtutis opere possumus aliquid impetrare a Deo, præcipue si offeramus illud opus Deo ad finem impetrandi illud aliquid. Quod præcipue verum esse debet de hac actione sacrificativa, quæ non solum est actio virtutis, sed est præterea actio virtutis, quæ dicitur oratio; et quidem est species atque actus excellentissimus orationis, ut perinde sit actus maxime impetratorius et efficacissimus impetrandi modus. Atque istis tribus modis actio sacrificativa participat vim operandi triplicem fitque meritoria, satisfactoria, impetrativa, præterquam quod fit honorativa et gratiarum actoria, ut supra visum est, et insuper repræsentativa ex opere operantis. Ad quod tamen requiritur insuper, ut operans ipse sit in gratia et sit justus; quod præcipue requiritur ad primam et secundam operandi rationem: scilicet meritoriam de condigno et satisfactoriam; sicut enim qui in mortali peccato exsistens eleemosynam facit vel jejunat vel facit actum justitiæ, humilitatis, nihil illo actu meretur, pro nulla parte pœnæ sibi vel alteri debitæ satisfacit: esto impetrare possit aliquid, per modum orationis actum illum offerendo et in hac oratione rite sese ac sine peccato gerendo, quod tamen locum non habet in eo, qui conscius peccati mortalis, neque, in de-

fectu Confessarii, contritus de eo, sacrificat; hic enim hoc ipso peccat et ipsa sacrificatione, quantum ex se est, Deum offendit, nedum ab illo aliquid impetrat. Ita etiam qui in peccato mortali sacrificat, nihil meretur, nihil satisfacit, nihil impetrat, quia etsi sacrificium sit oratio, et ille forte intendat per illud orare ac impetrare, tamen ipsam orationem, hoc est ipsum sacrificium peccaminose sacrilege facit ac proinde ipsa sacrificatione quoad hoc Deum offendit, non aliquid ab eo impetrat.

Ex dictis colligi potest, unde tandem Missæ sacrificium habeat vim impetrativam et propitiativam; 1. enim habet hanc vim ex persona Christi offerentis; 2. ex persona Ecclesiæ, 3. ex re, quæ offertur; 4. ex persona sacerdotis offerentis; 5. ex persona etiam eorum, quorum nomine et pro quibus offertur saltem ex parte quadam.

Ex persona Christi sacrificium Missæ vim habet effectivam prædictam duobus modis. 1. ex opere operato. 2. ex opere operantis, seu per modum cujusdam impetrationis; utrumque hoc est explicandum. Et primum quidem sic explico. Christus Dominus, qui est auctor, institutor, immo exsecutor etiam ac offerens primarius hujus sanctissimi sacrificii, ei-

dem sacrificio ex institutione, voluntate ac persona sua indere potuit vim effectivam sui effectus: idque hac ratione, assignando nimirum, ut, quodcumque a quocumque sacerdote oblatum Missæ sacrificium actusque sacrificii externus peractus, in certa aliqua proportione annexa haberet merita ipsius Christi, quorum meritorum vi per illum sacrificii actum conferretur etiam certus effectus ei, pro quo sacrificium offerretur (modo ille non habeat obicem, sed sit in gratia) conferretur autem certo, infallibiliter, independenter a dignitate et devotione offerentis ipsius, sed habita solum ratione actus sacrificii peracti seu exerciti, proportionem illam certam Christi meritorum annexam habentis, et deinde subjecti illius, pro quo sacrificium offertur, (sive illud sit sacerdos ipse, sive alius quis capax) ut non habeat obicem: habeat interim vel non habeat ullam dispositionem devotionemque actualem, dum ei applicatur vel dum pro eo offertur. Potuisse facere hoc Christum, nulli dubium est, fecisse autem re ipsa, certum est et probatum supra c. præsenti Not. 3. Atque ita patet, quomodo ex persona Christi Domini Missæ sacrificium habet vim effectivam operativamque ex opere operato, quod erat explicandum primo loco.

Jam quod idem Missæ sacrificium ex persona Christi, tamquam ex opere operantis et per modum impetrationis habeat vim, etiam sic explico. Sacrificium Missæ ex natura sua est actus orationis, ut vidimus, et offertur a Christo ipso, sive quod idem est, offertur in persona Christi a ministro Christusque per ministrum offert illud vere et offert secundum naturam sacrificii, quæ est, ut sit actus et quidem perfectissimæ orationis; ergo sequitur manifeste, quod sacrificium Missæ hoc ipso, quod offertur in persona Christi sive a Christo per ministrum, offertur per modum orationis excellentissimæ, et offertur a Christo Dei Filio, quem Deus Pater numquam non audit, ac proinde offertur per modum orationis efficacissimæ; et consequenter offertur cum vi impetrativa et per modum impetrationis. Et ita habet sacrificium Missæ vim impetrandi ex persona Christi ipsius tamquam principalis offerentis sacrificium, sine ullo respectu ad ministrum proxime offerentem ejusve dignitatem, devotionem, dispositionem et sine ullo etiam respectu ad illam proxime explicatam meritorum Christi annexionem ad actum sacrificii. Quæ vis impetrativa sacrificii Missæ derivata ex persona Christi ut offerentis per modum impetrationis est

etiam infallibilis et non dependet a persona offerentis sacerdotis, sed dependet a persona seu dignitate ipsius Christi gratiaque apud Deum Patrem: qua gratia movet Patrem, ut propter ipsum propterque dignitatem ejus conferat gratias ei, pro quo sacrificium offertur, sive ille sit sacerdos sive alius aliquis. Et ob hanc causam vocavi hunc modum ex opere operantis, intelligendo nomine operantis non ministrum, sed Christum ipsum, quatenus is est operans et offerens primarius ac dignissimus Patrique gratissimus, cujus dignitate moveatur Pater ad benefaciendum nobis. Qui modus loquendi si cui non placet, non contendo, modo de re ipsa constiterit.

Dixi autem hanc vim impetrativam in sacrificio Missæ ex persona Christi ut offerentis desumptam esse infallibilem et habere effectum certum, quia infallibile est Christum esse gratissimum Patri, infallibile etiam Christum Patri gratissimum in hoc sacrificio ut habente vim orationis ac impetrationis a Christo ipso vel, quod idem est, a ministro in persona ejus oblato, semper a Patre exaudiri et eas gratias conferre ei, pro quo sacrificium offertur, quas Christus ex sua liberalitate volet ei conferri a Patre, non habita ratione meritorum annexorum (quod fuit

in primo modo ex opere operato) sed tantum dignitatis suæ atque gratiæ apud Patrem. Ex quo fit, ut iste effectus sacrificii impetratorii ex persona Christi offerentis manans sit infallibilis, ex pura tamen Christi liberalitate in nos et ex pura Christi gratia apud Patrem profluens. In quanta vero mensura profluat, Christi est determinare, non nostrum nosse, Dei est dare, nostrum excipere et ad excipiendum nos præparare. Ille autem effectus ex opere operato est ex justitia et ex pacto inter Christum ac Patrem instituto, quia proficiscitur ex merito Christi annexo, ut dixi, actui sacrificandi: qua de re disputare non est mei instituti. Vide Theologos, ad institutum meum redeo. Idem Missæ sacrificium habet vim impetrativam ex persona Ecclesiæ, quam sacerdos gerit tamquam legatus. Et cum Ecclesia semper sit Deo grata, fit etiam, ut munera Deo ab Ecclesia per quemque oblata, sint semper grata: sicut, dum amicus amico munus mittit, esto per personam et manum parum gratam, munus tamen fit gratum, quia amicus non personam, per quam, sed a qua et cujus nomine offertur, attendit. Et alioqui nisi propter Ecclesiam sacrificia grata essent Deo independenter a gratia privata sacerdotis, multarum hæc

esset messis hallucinationum et anxietatum. Itaque quotiescumque sacrificium offertur, cum semper in persona Ecclesiæ offeratur et sit actus per se bonus ac proinde ad impetrandum applicabilis sicut et omnis alius virtutis actus, et præsertim cum sit species eaque excellentissima orationis, necessario sequitur sacrificium habere vim impetrationis ex persona Ecclesiæ, nomine cujus offertur. Vis impetrandi ex hoc capite, id est, quatenus sacrificium offertur in persona Ecclesiæ Deo gratæ Deique sponsæ, est etiam infallibilis, sed non ea infallibilitate qua supra; verum minori quadam minusque necessaria, tam tamen certa, quam certum est, semper Ecclesiam placere Deo. Et licet non semper impetret forte Ecclesia, quod petit in particulari, semper tamen, quod in generali petit, obtinet, gloriam scilicet, voluntatem Dei sui sponsi perfici et Ecclesiæ ipsius salutem promoveri. Non est tamen negandum multum hic valere dignitatem etiam offerentis legati atque sacerdotis etc. (Vide infra cap. 9.)

Idem Missæ sacrificium habet impetrandi vim atque propitiandi ex re, quæ offertur. Quæ cum sit Christus unigenitus Dei, munus est sane Patri gratiosissimum, proinde aptissimum ad hoc, ut ejus oblatione moveatur Deus Pater ad conce-

denda dona rependendumque liberaliter tam gratum munus sibi oblatum; rependendum, inquam, ei, qui illud obtulit, qui est v. g. sacerdos aut is, qui curavit per sacerdotem offerri; sed rependendum non adæquate rei oblatæ, quia talis repensio est impossibilis et creatura est ejus incapax; rependit ergo hoc munus Deus offerenti in mensura tanta, in quanta providentiæ illius libet et placet. Posito tamen, quod persona offerens obicem non habet, alioqui si cum obice peccati mortalis offertur tam pretiosa res Deo, contra voluntatem ejus offertur.

Idem Missæ sacrificium habet vim impetrativam et propitiativam ex persona offerentis sacerdotis, si is sit in gratia, patet ex dictis supra hoc ipso cap. Not. 4; sacrificandi enim actio est actus virtutis insignis. Unde si fiat a justo homine, operari potest illos effectos ibi expositos: scilicet meritum, satisfactionem, impetrationem. Atque idem est dicendum de personis, quarum nomine et pro quibus offerri curatur sacrificium, proportionaliter; requiritur enim in his personis, ut etiam sint in gratia absque obice, capaces, non in termino ultimo etc.

Hoc addam isto loco, antequam caput præsens concludam: in sacrificium Missæ ex hoc triplici personarum genere (sa-

cerdotis offerentis, ejus qui curat offerri, et ejus, pro quo offertur, si quando istæ personæ distinguuntur, nam aliquando confundi et concurrere in unam possunt) tanto plus impetrativæ propitiativæque efficaciæ redundare, quanto sunt personæ prædictæ in majori gratia, in majori et altiori perfectionis sanctitatisque gradu, in majori et ferventiori actuali ac præsenti dispositione devotioneque, quanto magis excellentes heroicosque ac insigniorum virtutum actus defæcatioresque ac Deo immediatius unientes corque purificantes et in veritate solidantes affectus, sub sacrificii (et idem dico de communionis eucharisticæ sacramentalis actu, durantibus præsertim speciebus jam sumptis) actum in dictis personis reperiri contigerit. Atque ita etsi in omni decursu Missæ, præcipue tamen in illo actu, in quo substantialiter sacrificium peragitur, oportet esse sacerdotem et omnem hominem, pro quo sacrificium offertur, vigilem, excitatum et, ut ait S. Bonaventura, totum divinum effectum. In qua re multi deficimus etiam sacerdotes ob ignorantiam. Expedit etiam ob hanc causam eos sacrificio interesse, pro quibus offertur vel quorum nomine etc. Sed tandem capiti huic finis faciendus est.

Caput 5.

In quos derivari possit qualiscumque effectus ac fructus Missæ sacrificii.

Fructus effectusque nomine intelligo omne id, quod a sacrificio fit, seu ad quod sacrificium fit; quæritur ergo, qui sunt illi, de quibus possit cogitari, quod aliquis effectus sacrificii in eos derivetur; hos enumero imprimis, deinde de singulis, quid quisque eorum percipere ex sacrificio possit, explico. Quantum ad primum. Primus est Deus, 2. Christus Dominus, 3. Beati, 4. Ecclesia militans in hac vita, 5. sacerdos ipse, 6. alii a sacerdote, pro quibus offerri potest, vivi iique justi, 7. peccatores, 8. excommunicati, fideles tamen, 9. infideles, hæretici, pagani, Judæi, 10. mortui fideles in purgatorio, 11. damnati, 12. cooperatores in sacro vel ad sacrum. De his singulis quæri potest, sintne alicujus et cujus tandem fructus sacrificii capaces. Ad quod determinandum: revoco ex dictis supra: in sacrificio Missæ 1. adorari Deum cum recognitione dominii supremi et in hunc finem ei sacrificium institui, 2. honorari dignitatem ejus modo excellentissimo, nempe actu sacrificii soli Deo debiti et honorari non tantum modo, sed etiam re

ipsa oblata illo modo, quæ res ipsa est ipsemet Deus-homo, ita ut idem sibi ipsi Deus in sacrificium immoletur, præterea honoratur actione non simpliciter sacrificativa, sed insuper ineffabili modo per actionem incarnativam et reproductivam Christi sub speciebus: qui modus honoris nulli etiam alteri communicari potest nisi Deo; in nullius enim rei honorem potest aut debet Christus reproduci nisi in solius Dei etc.; 3. in sacrificio Missæ memoria fit Christi et passionis et mortis et sacrificii ejus tam incruenti quam cruenti; nec solum memoria, sed etiam 4. fit repræsentatio illarum ipsarum rerum gestarum, et repræsentatio non similis, sed eadem omnino, etiam quoad personam primariam et principaliter repræsentantem; 5. in hoc ipso sacrificio Christus merita sua in certa proportione applicat eaque annectit actui sacrificii, ita ut huic actui propter merita Christi a dignitate personæ Christi dignificata, ex justitia Patris erga Christum, cujus illa merita sunt, et ex pacto, quod inter Patrem atque Christum est de salutis nostræ promotione, debeantur certa quædam dona, quæ accipiat is, qui offert vel pro quo offert sacrificium, si extra gratiam non sit et sit capax; unde 6. in hoc sacrificio confertur et efficitur effectus certus de-

terminatusque, per respectum ad illa merita annexa a Christo actui sacrificii, qui effectus determinatus est vel remissio alicujus pœnæ debitæ peccatis ejus, pro quo sacrificium offertur, vel certe est collatio gratiæ alicujus prævenientis, qua justus ad majorem perfectionem, peccator ad pœnitentiam excitetur; 7. cogitari posset hic, an Christus mereatur in sacrificio isto et cui hoc meritum cedat. 8. In hoc sacrificio est vis impetrativa et propitiativa ex persona Christi, quæ offert vel in qua offertur a ministro; 9. quæri potest de productione seu collatione gratiæ justificantis; 10. de remissione peccati mortalis; 11. de remissione peccati venialis; 12. de pœnæ temporalis peccato jam remisso debitæ remissione; 13. de collatione gratiarum actualium efficacium ac sufficientium; 14. in hoc sacrificio aguntur gratiæ Deo pro beneficiis; 15. in eodem Sancti honorantur, invocantur, merita precesque eorum interponuntur; 16. hoc sacrificium cum sit actus quidam virtutis, qui possit esse meritorius, quis et quid eo mereatur, quæri potest. Cum etiam possit idem actus esse satisfactorius, quæri potest 17. quantum et pro quo satisfaciat. Cum denique possit esse impetratorius, immo vero ex natura sua sit actus orationis, quæritur quid oret ac impetret etc.

His positis hoc Missæ sacrificium prodest, ut sic loquamur, Deo; non tamen ad aliquid aliud, quam ut per ipsum a creatura, hoc est a nobis dignissimo et excellentissimo modo honoretur tamquam absolutus Dominus omnium et princeps, tamquam dignissimus omni honore ab omni creatura; item ut excellentissimo modo oretur gratiæque ab eo impetrentur; item ut illi excellentissimo modo gratiæ agantur pro beneficiis collatis et quasi vicissim condignum et par Deo munus offeratur eoque munere ad novam beneficentiam provocetur. Atque hoc totum et tantum debet ac potest intendere sacerdos, ut ex ejus sacrificio, quod offert Deo, in Deum ipsum redundet.

Hoc idem Missæ sacrificium Christo, ut sic etiam loquamur, prodest: 1. ad commemorandam rerum ab eo pro nobis gestarum, toleratarum institutarumque memoriam et gloriam; 2. ad realem earumdem repræsentationem atque repetitionem; 3. ad hoc, ut fructum meritorum suorum apud Patrem exigat ab eodem Patre, ex justitia et ex pacto, eumque nobis conferat et sic effectum sacrificii hujus nobis ex opere operato conferat; 4. ut excitetur ejusdem liberalitas ad hoc, ut in persona sua propter dignitatem

suam gratiamque, quam apud Patrem habet, impetret nobis dona salutis juxta suæ providentiæ atque liberalitatis circa et erga nos dispositionem; 5. ut gratias et gratitudinis actum a nobis servis suis atque beneficiariis recipiat; per hoc enim sacrificium non solum Deo, sed etiam Christo gratias agere possumus ac debemus; 6. ut gloria aliqua nova accidentalis occasione sacrificii Christo sive ejus humanitati accedat gaudiumque de nostra salute, pœnitentia, in virtute et amore cultuque veri Dei profectu, quam maxime Christus intendit in hoc sacrificio atque operatus est et operatur; 7. ut ipsi Christo per Christum ipsum condignus et par honor a nobis et ab Ecclesia exhibeatur; sicut enim dicimus in hoc sacrificio Deum Deo, ita etiam dicere possumus in eodem Christum Deum-hominem sibi ipsi immolari atque sic dignissime supra omnem captum laudari exaltarique. Neque potest excogitari altior modus Christum honorandi sicut et Deum, quam per tantæ rei sacrificium: quem modum quia nos Christus docuit eumque in manibus nostris deposuit (præcipue sacerdotum, qui hujusmodi sunt administri et veluti dispensatores), nullis viribus possumus dignas laudes atque grates Christo exhibere, nisi si curemus hoc sacrificium in

eum ipsum gratias ei agendi finem offerri. Atque hoc totum et solum intendere sacerdos debet ac potest, ut ex ejus sacrificio, quod Deo et Christo confectum offert, in Christum redundet. Hoc idem Missæ sacrificium prodest etiam Beatis hac sola, quæ sequitur, ratione. 1. quia eorum memoria agitur, quæ est illis grata, 2. quia Deus in eis et per eos laudatur, quod item gratum eis est, 3. quia pro beneficiis a Deo in eos in hac et illa vita effusis magnificæ Deo per nos gratiæ aguntur, quod etiam iis gratum est; unde ulterius 4. gaudium illis accidit accidentale de honore, qui accedit Deo per sacrificium in eorum memoriam honoremque Deo oblatum a nobis; 5. gaudet etiam ex hoc, quod videant hanc sui apud nos memoriam nobis prodesse, nos propter merita ipsorum a Deo beneficiis salutaribus et gratiis opportunis donari, exaudiri in orationibus, illuminari, inflammari ad bonum, incitari ad Sanctorum imitationem; 6. gratum, gaudiosum et honorificum est illis in adeo sacrosancto negotio, hoc est sacrificio, nominari ut patronos nostros, ut Dei amicos invocari Deumque per eorum merita interpellari, ut nobis adsit per gratiam suam in suo servitio, in Sanctorum ipsorum cultu ac imitatione, in necessitatibus nostris commu-

nibus privatisve: et hoc est illud, quod postulamus, cum alicubi in sacro, Ecclesia duce, dicimus petimusque, ut hoc sacrificium Sanctis prosit ad honorem, nobis autem ad salutem. Atque totum hoc et solum sacerdos debet ac potest intendere, ut ex sacrificio, quod offert Deo, redundet in Sanctos: sive dum commune sacrum aliquod dicit, sub nullius Sancti memoria honoreque ab Ecclesia ordinatum, sive dum etiam aliquod sacrum dicit sub certi alicujus Sancti nomine honoreque ab Ecclesia institutum.

Ex dictis collige nulla occasione dignius Sanctos memorari, nominari, invocari, nusquam dignius eosdem coli, nusquam efficacius eorum merita et preces interponi, nusquam efficacius ad eorum imitationem nos moveri quam in sacro; ut proinde hic diligentissimi esse conemur et in Litaniis Sanctorum liberales; in quibus habemus Ecclesiæ ipsius exemplum, non unum in quovis sacro, habemus et in tot sub memoria Sanctorum sacris ordinatis, habemus in cunctis altaribus Sanctorum reliquias continentibus. Et suaserim, omnes quidem Sanctos universim semper, ac præcipue eos, quos selegit Ecclesia et quos statis per annum diebus in sacro invocat, ut nos speciali devotione in sacro invocemus. Hoc idem

Missæ sacrificium prodest Ecclesiæ Dei (quo nomine intelligo totam ecclesiasticam hierarchiam omnesque fidelium ordines, abstrahendo a talibus vel talibus) 1. ad Deum, Christum, Sanctos ejus, modis jam explicatis honorandos; hoc enim præstat Ecclesia per sacrificium gratissime, dignissime, fidelissime, efficacissime; 2. ad totius Ecclesiæ regimen, sanctificationem, defensionem quamcumque, instructionem, profectum justorum, multiplicationem eorumdem, aversionem calamitatum publicarum, diminutionem peccatorum, propagationem et dilatationem etc.; 3. ex sacrificio Missæ prodest sive advenit Ecclesiæ id omne, quod sacerdos quicumque (et similiter omnis alius, qui hic intervenire potest) offerens sacrificium applicare vel posset vel deberet sibi ipsi vel alteri (meritum excipio, hoc enim personæ soli competit), interim autem negligit; sive is sit effectus impetrationis sive propitiationis, sive quivis alius, qui forte hic esse potest aut solet. Omnia enim ista in thesaurum Ecclesiæ coguntur. Quantus autem is sit Ecclesiæ fructus, ut nihil aliud ignavia nostra propria nos sigillatim docere potest, qui hoc lucrum Ecclesiæ nostro cum privato damno patimur, si tamen illud nosse vel æstimare scimus. Hi fructus adveniunt Ec-

clesiæ a Deo et Christo: 1. quidem ex opere operato et propter merita Christi ex justitia Patris erga Filium tantis meritis divitem; 2. ex opere operantis seu per modum impetrantis ejusdem Christi primarii offerentis, et quidem primario pro Ecclesia tamquam sua dilecta et unica sponsa; 3. ex ipsius Ecclesiæ apud Deum dignitate atque gratia, quam semper habet; 4. ex sacrificii ab Ecclesia per modum impetrationis oblati ad impetrandum efficacia atque pondere; quæ efficacia profluit in sacrificio tum ex natura sacrificii, quia est dignissimus et supremus modus Deum colendi atque propitiandi et quia est excellentissimus modus Deum orandi ab eoque impetrandi; tum ex natura sacrificii hujus in specie, quia id, quod in eo offertur, est dignissimum, est tale, quod cor Dei Patris efficacissime movet ad danda Ecclesiæ bona necessaria, danda sive ex justitia erga Christum, sive ex liberalitate Christi et gratiositate ejus apud Patrem, seclusa etiam justitia; tum ex natura et dignitate ipsius Ecclesiæ offerentis in persona sua per sacerdotem; tum denique ex dignitate ministri, quem in persona sua adhibet Ecclesia ad sacrificandum Deo, qui quanto justior est perfectiorque tam habituali quam actuali perfectione ac devotione,

tanto facit gratius Deo sacrificium nomine Ecclesiæ oblatum. Etsi enim absque hoc gratum esset Deo munus Ecclesiæ alias sibi gratæ, nihilominus gratius est, quando omnia concurrunt grata: scilicet et actio offerendi et res oblata et persona, id est Ecclesia, offerens et ipse legatus sive minister Ecclesiæ. Atque ita sacerdos totum hoc solumque debet ac potest intendere, ut in Ecclesiam simpliciter ex suo sacrificio redundet. Debet etiam curare, ut quam copiosissimam dignitatem, perfectionem, sanctitatem, devotionem habitualem actualemque afferat ad sacrificium; multis quidem ex capitibus aliis, sed inter alia ex hoc, quia est legatus et personam gerens totius Ecclesiæ: ita ut, dum pergit ad altare sacerdos, sciat secum et post se adesse Ecclesiam universam totumque cœtum fidelium, cujus os et cor esse debet sacerdos apud Deum. O quantum sacerdotum hoc onus, o quam grande munus, o quam in oblivione vulgo sepultum!

Ex dictis obiter collige, Ecclesiam nulla ex actione plus utilitatis spiritualis (immo et temporalis, quantum ea ad spiritualem conferre potest) certius, infallibilius, efficacius et condignius recipere a Deo, quam ex actione sacrificii etiam unius ab uno sacerdote (quocumque) ob-

lati. In nulla enim Ecclesiæ actione tot tantaque concurrunt motiva ad Deum munificentiæ suæ commonendum ad eumque commovendum, immo et cogendum, quanta et quot concurrunt in sacrificio. Itaque coactis in unum aliis omnibus et orationibus et devotionibus et afflictionibus et virtutum actionibus, quas Ecclesia et omnes in ea contenti faciunt, coactis omnium etiam Sanctorum ac Deo gratorum precibus ac meritis et iis ad impetrandum a Deo aliquid applicatis: numquam tantum habebunt efficaciæ atque potentiæ, quantum habebit unicum sacrificium Missæ. Nusquam enim interveniet tantus Deum colendi modus, quantus est sacrificium; nusquam tanta res Deo offeretur, quanta est Christus, qui offertur; nusquam interponetur justitiæ debitum, quo Deus obligatus est Christo ad faciendum nobis bene et Ecclesiæ toti, propter merita Christi, actioni sacrificii annexa etc. Quo fit neminem plus prodesse, neminem plus servire Ecclesiæ quam sacerdotes sacrificantes. E contra, neminem plus nocere quam sacerdotes sacrificare negligentes. Unde etiam infero, si Ecclesia aliquid alicui membro suo debet, illi debet plurimum, quod in sacrificiis offerendis occupatur frequentissime aut assidue. Infero. Quod si Christus

amat Ecclesiam, (amat autem post Deum Patrem maxime) et vult illi quam copiosissime meritorum suorum fructum applicari gratiasque omnis generis a Patre propter sua merita copiosissime et infallibiliter conferri: inter omnia membra Ecclesiæ illos potissimum amare debet, qui hanc Christi sitim explent et hunc amorem Christi in Ecclesiam exsatiant, illos inquam, qui frequentissime sacrificia offerendo, Ecclesiæ causam apud Deum Patrem agunt fidelissime et jure Christi utuntur in bonum Ecclesiæ attentissime atque avarissime. Plura mi lector, inferas lucet. Ego, ne longus sum, parco; immo et aliud caput incoho.

Caput 6.

Qui fructus ex sacrificio Missæ redundent in justos, et quomodo.

Hoc idem sacrificium Missæ prodest justis hominibus vivis in hac vita; prodest autem 1. in communi, seu Ecclesiæ, de qua proxime egimus, cujus membra sunt et quidem viva, hoc est maxime capacia fructus, immo talia, ratione quorum Ecclesia et imprimis Deo grata est et gratiam a Deo percipit; prodest 2. ex intentione sacerdotis, si ea accedat; prod-

est 3. ex intentione ipsius justi, si eam habeat. Unde bonum est, ut quilibet omnia sacrificia, quæ uspiam peraguntur, pro sua etiam parte Deo offerat, perinde ac offert ea, quæ præsens spectat vel offerri curat a sacerdote; etsi enim absque hoc est particeps omnium sacrificiorum propter rationem communem Ecclesiæ primo loco adductam, amplius tamen participabit, si ipsemet proprio sui cordis motu ac devotione illud obtulerit Deo et sibi in eo aliquid petierit a Deo, sibi inquam vel etiam alteri, vivo aut mortuo, ex caritatis aut alicujus virtutis motivo etc.; 4. ex intentione alicujus alterius, qui pro eo sacrificium offert vel offerri curat, vel aliquem illi fructum ex eo intendit, fructum dico satisfactionis vel impetrationis, non autem meriti; nam suum meritum nemo potest applicare alteri, ita ut se illo privet et illud in alium transferat, nisi ita, ut merito suo salvo aliquid alteri mereatur vel potius impetret etc. Sicut enim mihi, ita etiam alteri possum applicare effectus sacrificii, ut per se constat. Ubi nota utile esse, ut homo, qui pro se ab aliquo sacerdote sacrificium offerri scit vel credit, itemque qui credit ab aliquo non sacerdote curari, ut pro se sacrificium offeratur, utile inquam est, immo necessarium, ut talis fructum sa-

crificii illius pro se oblati acceptet et applicet ad aliquid certi, quod sibi optat: qua de re fusius et explicatius infra dicetur. Prodest porro justis hoc sacrificium multifarie seu in multis.

Ac *primo* prodest ad augmentum gratiæ habitualis sive justificantis: non quidem immediate et directe; hoc enim sacrificio non competit, sed mediate, ut statim explicabo; explicandum hoc est semel pro semper, ut ajunt, cum ejus rei cognitio sit non tantum utilis, sed etiam necessaria. — Sciendum ergo gratiam conferri posse in sacramento v. g. eucharistiæ 1. immediate, ita ut hoc ipso, quod sacramentum justus accipiat, sanctificetur et augmentum recipiat sine ullo alio suo actu piove motu, etiam dormiens aut amens aut ignorans, modo, ut dixi, sit justus et careat obice; 2. mediate, ita ut sacramentum eucharistiæ sumptum ab homine justo conferat prius eidem gratias actuales excitantes piosque motus voluntatis liberos, quibus voluntas mota pium aliquid agat et agendo habitualem sanctificantem gratiam acquirat. Sacramentum ergo eucharistiæ utroque modo confert justis sumentibus augmentum gratiæ sanctificantis; at sacrificium Missæ non confert nisi secundo modo posteriori, priori vero nequaquam; alioqui posset

quis per meram et solam extrinsecam sacrificii applicationem evadere sanctissimus, posset etiam sacrificium offerri pro infantulis baptizatis, ut amplius sanctificentur, quod numquam in praxi fuit apud Ecclesiam. Per hoc ergo confertur augmentum sanctificantis gratiæ justis sacrificio pro eis oblato, quia in hoc sacrificio conferuntur gratiæ quædam actuales, quibus dum utitur justus, meretur et sanctificatur.

Secundo prodest hoc sacrificium justis ad remissionem peccatorum venialium eodem modo, quo supra dixi de augmento gratiæ habitualis, mediate, scilicet mediante aliquo pio motu per gratiam excitantem habito, non ut immediate conferatur remissio venialium per solius sacrificii applicationem absque ullo pio motu; hoc vulgo sentitur a Doctoribus Ecclesiæ. Proinde utile est, ut is, qui sacrum habet, audit vel pro quo fit, excitet sacri tempore in sese pios aliquos voluntatis liberæ motus in Deum, propter Deum, puta doloris de peccatis, amoris Dei, desiderii placendi ipsi etc., ut ipsi deinde conferatur remissio venialium noxarum aut incrementum gratiæ sanctificantis.

Tertio prodest justis hoc sacrificium ad delendas ex opere operato pœnas temporales debitas peccatis jam remissis. Est

enim hoc sacrificium satisfactorium seu propitiatorium estque in hoc simile sacrificio crucis cruento, et alioqui hoc sacrificium inferius esset legalibus, quæ immunditias legales delebant ex opere operato; atqui Missæ sacrificium est præstantius, immo est veritas illius umbræ. Itaque justus dum vel pro se vel pro aliquo alio justo celebrat, potest satisfacere hoc sacrificio pro suis pœnis debitis sibi in purgatorio vel alteri, et quasi plenariam vel partialem indulgentiam accipere. Unde consultum est sacrificium hoc ita offerre pro pœnis tuorum peccatorum, in quantum iis adhuc illigatus es, et pro aliorum similiter, sive vivorum sive mortuorum. Consultum etiam præmittere sacrificio actum contritionis vel attritionis de peccatis venialibus omnibus; quamvis neque hoc absolute requiritur ad peccata venialia jam remissa, sed tantum ad nondum remissa, ut sic homo post sacrificium obeat sine obligatione culpæ et pœnæ.

Quarto prodest justis sacrificium Missæ ad conferendas ex opere operato gratias actuales prævenientes, quibus excitetur justus ad pios motus et actus liberos virtuosos, ad studium majoris perfectionis etc., quibus mediantibus sanctificetur amplius, ut supra dixi. Operatur autem sa-

crificium has gratias excitantes infallibiliter et ex opere operato, ut dixi, operatur partim statim, si quis attentus sit, partim post, quando providentiæ Dei visum fuerit, unde bonum est post sacrificium peractum audire, quid loquatur Dominus ad cor servi sui, et ejus inspirationes notare; quod ipsum et post communionem factitandum est. Operatur præterea gratias efficaces, quantum ex parte Dei, modo sibi homo non desit, et gratiis oblatis. Unde bonum et consultum est, ut in sacrificio sacerdos sibi vel alicui alteri petat a Deo, ut ille det gratias efficaces in particulari, hoc est tales, quibus scit Deus usurum bene hominem, potius quam alias aut quam nullas. Dico: petat a Deo sacerdos etc.; quoad hoc enim sacrificium habet se non ex opere operato, sed per modum impetrationis. Operatur præterea sacrificium has gratias in homine justo sine ulla alia ejus dispositione, nisi quod justus sit et sacrificium ei applicetur; quod idem de peccatoribus sentiendum quoad gratias actuales excitantes ad pœnitentiam, qua mediante sequatur conversio et sanctificatio peccatoris, ut mox dicetur.

Quinto prodest hoc sacrificium justis ad impetranda quælibet beneficia mediate vel immediate, quæ spectant aliquo modo

ad salutem animæ. Prodest ad hoc sacrificium per modum impetrationis, non ex opere operato, et prodest, quia est præstantissimum genus orationis, et quidem a Christo institutum: institutum vero ad hoc directe, ut per illud (nempe intuitu gratissimi muneris desideratissimæque hostiæ ac holocausti et suavissimi thimiamatis, quod in illo divinæ ipsius majestati offertur, insuper intuitu commemoratæ ac repræsentatæ ad vivum suo divino conspectui illius gratissimæ in cruce peractæ cruentæ oblationis, quæ etiam in hoc sacrificio repræsentatur et repetitur) omnis generis beneficia prædicta impetremus. Ad quam rem voluit etiam Christus, ut non in nostra persona, sed in ipsius Christi postularemus, ita ut Christus impetret, quod impetramus nos, et Deus Pater quasi Christo det, quod nobis in sacrificio dat, ideoque libenter et liberaliter dat, ac proinde facile dat. Ex quo inferre licet, cum aliquid efficaciter impetrare volumus, modo illud contra salutem non sit (frustra enim petit in nomine Salvatoris, qui aliquid petit contra rationem salutis), id præcipue in sacrificio petamus. Deinde licet inferre, ut non petamus pauca et parva, sed multa, immo plurima, præsumentes de personæ Christi dignitate atque gratia apud Patrem,

præsumentes de Patris erga Christum liberalitate, optantes Christo solatium illud complacentiamque (quam habet, quotiescumque nobis in ejus persona petentibus datur a Patre, quod postulatum est) esse quam maximam; sibi enim Christus dari imputat, cum nobis in persona sua petentibus dari reputat. Unde hic modus petendi a Deo per sacrificium beneficia salutaria et ad salutem conferentia non est quidem omnino infallibilis, est tamen valde certus et efficax; quod patet, quia si scriptum est: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, credite, quia accipietis,* quanto magis verum erit: quidquid petieritis Patrem in persona mea, tamquam peterem ipsemet ego, et præterea offerendo illi in sacrificium ipsum me, credite, quia accipietis. Dixi autem hunc petendi modum atque adeo sacrificii fructum non esse omnino infallibilem, quia etiam pendet a ministro seu sacerdote. Pendet autem tum ab ejus intentione, tum a dispositione. Ab intentione, quatenus sacerdos potest intendere tum certa, pauca, multa beneficia, tum huic vel illi personæ impetrare ea; in quo si sacerdos negligens sit, nihil fit. Unde prodest a sacerdote ante sacrum vel in sacro intendi specifice particulariterque beneficia et certis personis ea applicare, in quem

finem institutum est ab Ecclesia in sacro duplex Memento, scilicet vivorum et mortuorum: in quo non tantum personas intendere sacerdos certas deberet; sed etiam causas earum, quas Deo commendare vellet, beneficiaque illa, quæ iisdem impetrare cuperet et a Deo conferri. Quod nisi fiat, nihil impetrabitur cuiquam particulari particulare. Esto impetrabitur semper aliquid Ecclesiæ in communi, cui semper ex quovis sacrificio certam impetrativi effectus portionem advenire plane certum est, maxime cum etiam in persona Ecclesiæ oret. Posset etiam aliquando sacerdos et totum hunc effectum Ecclesiæ ut sic acceptæ applicare etc.

Pendet etiam ex dispositione sacerdotis offerentis sacrificium. Quanto enim melius dispositus fuerit sacerdos sacrificans et postulans, tanto efficacius sacrificii vim impetrativam exseret et amplius efficaciusque obtinebit juxta Dei providentiam, quam ubique salvam esse oportet.

Atque ita advertendum hic est obiter, virtutem sacrificii impetrativam et effectum a tribus personis dependere: 1. a persona Christi, 2. a persona Ecclesiæ, 3. a persona ipsius sacerdotis. Virtus et effectus sacrificii ex parte duarum personarum priorum, quas sacerdos gerit, semper est aliquis saltem in homine. Ex

parte tertiæ personæ pendet, ut dixi, tam ab intentione seu applicatione, quam a dispositione ejus. An vero etiam pendeat a personæ, pro qua sacerdos offert, intentione ac dispositione, brevissime dico: respectu quorumdam effectuum dependere, respectu quorumdam non, v. g. si is, pro quo sacrum fit vel pro quo in eo oratur, est in statu peccati mortalis, huic non potest remissio pœnæ temporalis impetrari; non enim remittitur pœna ante peccatum vel sine peccato. Multo minus augmentum gratiæ habitualis aut meriti vitæ æternæ, nisi interveniat pœnitentia et pius aliquis voluntatis motus retractans malitiam peccati etc. Eidem tamen in peccato constituto possunt impetrari per sacrificium gratiæ excitantes, nisi etiam has impetrari alicui impediat vehemens obstinatio in vehementi malitia corque obduratum et venundatum, ut faciat malum, juxta phrasim Scripturæ; talis enim et reddit se ineptum sponte ad hoc, ut mediis ordinariis convertatur, et Deus non solet nec tenetur extraordinariis uti ad illum convertendum. Jam si is sit in gratia, pro quo sacrum habetur et pro quo in eo oratur, de hoc jam supra dictum est; et dubium non est, multum posse tam intentionem quam dispositionem ejus ad fructum copiosius vel parcius

obtinendum ex virtute sacrificii impetrativa. Hæc de fructibus justorum ex Missæ sacrificio.

Caput 7.

Quis fructus ex Missæ sacrificio in peccatores, excommunicatos, infideles, mortuos, cooperantes redundet.

Ex his, quæ proxime dicta sunt capite 6, facilius explanabuntur et percipientur sequentia.

Hoc igitur Ssm̃um Missæ sacrificium prodest peccatoribus, hoc est iis, qui in peccatis mortalibus sunt ac vivunt. Prodest autem ad impetrationem gratiarum prævenientium, quibus excitentur ad pœnitentiam, deinde ad gratiam et sic deinceps. Neque solum ad impetrationem, quatenus est impetratorium, sed etiam ad ipsam collationem gratiarum talium ex opere operato: juxta Dei providentiam, quoad tempus, locum aliasque circumstantias, quas determinare divinæ voluntatis est. Ob quod Ecclesia orat pro peccatorum omni genere et sacrificium hoc offert etiam illis non cogitantibus. Hoc idem sacrificium prodest etiam excommunicatis omnibus sive propter hæresim, sive propter schisma, sive propter aliud culpæ genus. Non quod directe

pro excommunicatis sacrificium offerri liceat, istud enim per excommunicationem fieri non posse nec debere Ecclesia intendit; sed quod indirecte possint sacrificio juvari, v. g. si fiat sacrificium pro Ecclesiæ promotione dilatationeque, pro conversione peccatorum, pro exstirpatione malorum morum et hæresum; hoc enim Ecclesia non prohibet per excommunicationis inflictionem. Immo potest sacrificium offerri pro talibus etiam directe, sed privatim, hoc est a sacerdote, ut est privata persona, non vero ut personam gerit publicam scilicet Ecclesiæ aut Christi (quamquam si in persona Christi offerret pro talibus, valide faceret, esto ob prohibitionem Ecclesiæ illicite et cum gravi peccato, et potest eosdem in Memento commemorare: idque facere possunt ii, qui sacrum audiunt, id enim Ecclesia non prohibet. Atque ita potest illis sacrificium prodesse sicut et peccatoribus in communi, nisi quod publice directe in facie Ecclesiæ et ex persona illius atque Christi pro eis orari offerrique non possit.

Idem sacrificium prodest infidelibus per baptismum ad Ecclesiam non introductis. Prodest vero per modum impetrationis (non ex opere operato); potest enim rogari et impetrari eis, ut evadant membra

Christi, ut Deus provideat illis media agnoscendæ veritatis, ut det gratias excitantes etc.*) Immo Apostolus 1. Tim. 2. jubebat fideles orare pro regibus et ducibus tunc utique infidelibus, idque ut quietam (inquit) vitam agamus: ubi non tantum spirituale bonum, sed etiam temporalis pacis bonum intelligi certum est. Hoc sacrificium non prodest mortuis ad inferni æternas pœnas damnatis; nulla ibi redemptio, ergo neque a sacrificio.

Hoc sacrificium prodest animabus in purgatorio, et prodest tam ex opere operato, quam ex parte impetrationis, quam etiam per modum propitiationis seu satisfactionis. Prodest vero ad remissionem pœnæ vel diminutionem ejus, quam patiuntur in purgatorio. Estque hoc de fide. Hæc etiam est praxis totius Ecclesiæ per omnes ætates. Sacerdoti, dum ordinatur, datur potestas offerendi hoc sacrificium pro vivis et defunctis. Ergo ex potestate ordinis hanc potestatem habet, igitur non tantum potest prodesse sacrificando mortuis, quod, ut dixi, est de fide, sed etiam ex opere operato potest, sicut et vivis.

Nota autem 1. fructum ex Missæ sacrificio in defunctos capaces semper red-

*) D. Th. 3. p. q. 79. a. 7.

undare et infallibiliter, etiam sacerdote non intendente: qui fructus est communis omnibus defunctis talibus, obveniens eis tamquam Ecclesiæ membris: et hic fructus non est in sacerdotis dispositione, et advenit ex omni sacrificio Missæ. Alius est fructus particularis, qui advenit ex intentione sacerdotis ei, pro quo intendit aut sacrum dicit, quando dicit; estque non in Ecclesiæ dispositione, sed in ipsius sacerdotis arbitrio. Unde, quando Missa offertur pro certo aliquo defuncto capaci, duplex illi fructus advenit, seu dupliciter illi prodest Missa: 1. in communi; fructu illo communi, cujus sunt participes omnes animæ in purgatorio, 2. in particulari, qui illi intenditur particulariter ab offerente Missam vel a curante offerri. Quo particulari fructu si is non indiget, is vel in Ecclesiæ thesauro remanet, vel alteri a Dei providentia applicatur. Ideo in omnem eventum substitui debet alius aut alius in purgatorio situs, quem velit juvari sacerdos, posito, quod prior ille non sit jam capax et indigus.

Nota 2. nullum alium fructum posse pervenire ex sacrificio animabus in purgatorio, quatenus in eo statu sunt. Unde neque aliter pro eis sacrum fieri et offerri potest, quia frustra est. Ex quo sequitur, quod, dum sacrum pro defunctis of-

fertur, ex eo sacro nihil aliud eis advenit nisi sola relevatio pœnæ modo dicto, reliqui effectus sacrificii illius, si a sacerdote non applicantur (excepto merito, quod semper penes eum est, qui meretur, ut alias dixi) manent vacui et transeunt in Ecclesiæ thesaurum. Proinde consultum est, ut sacerdos, dum sacra pro defunctis offert, fructum quidem remissionis pœnæ iis intendat et applicet, alios vero fructus vel Ecclesiæ vel sibi vel vivis applicet. Hinc collige ulterius unico sacro posse pluribus obligationibus fieri satis, v. g. debeo sacrum pro gratiarum actione Deo ob datum alicui vivo beneficium, et debeo etiam sacrum pro aliquo defuncto: primæ intentionis non est capax aut saltem non indigus mortuus, secundam vivo non debeo; utrique igitur unico sacro satisfacio; utrique enim, quod debeo, præsto. Et sic de aliis etiam pluribus intentionibus vel obligationibus dici potest. [1])

[1]) Nota Editoris. In Missis tamen pro defunctis, quæ ex stipendio accepto celebrari debent, illis totus fructus, tam satisfactorius quam impetratorius, applicari debet, nec licet in Missis pro defunctis ex justitia debitis fructum impetratorium aut sibi aut alteri applicare. Non constat quidem, qua ratione animabus defunctorum prosit sacrificium, quatenus impetratorium est, at certum est, defunctos fructu impetratorio juvari posse; et pariter certum est eos, qui dant stipendium pro defunctis, jus habere, ut defuncti ex Missa omni, quo possunt, modo juventur. (Cfr. Noldin [10] III. n. 178, b)

Adverte tamen hic obiter, inter duo sacra, quæ pro defunctis dici possunt, unum, quod proprie ab Ecclesia institutum et ordinatum est ad orandum in eo pro defunctis, et vocatur vulgo Requiem: alterum vero commune et occurrens, et tantum ex intentione defunctis applicatum, plus prodesse defunctis illud primum, quam hoc secundum, non quatenus sacrificium est præcise, quoad hoc enim ambo paria sunt, sed ob orationes ex mente Ecclesiæ directas ad subsidium animarum, quæ non sunt in communi et occurrente sacro, immo ad aliud diversum intentum applicatæ et institutæ sunt per Ecclesiam.

Hoc etiam sacrificium prodest iis omnibus, qui sacrum offerunt cum sacerdote: intelligo nomine offerentium hoc loco non Christum, non Ecclesiam, non sacerdotem, sed partim eos, qui ministrant, partim qui assistunt celebranti et audiunt sicque aliquo modo cum eo offerunt, partim qui imperant, impetrant, eleemosyna inducunt sacerdotem ad offerendum; prodest his omnibus sacrificium per modum impetrationis. Nam etsi isti omnes aliter offerunt sacrificium quam sacerdos, offerunt tamen suo modo et consequenter offerendo orant, et quidem orant perfectius, quam si nuda aliqua ora-

tione orarent, aut aliquem actum exercerent virtutis, et præcipue quia offerunt rem tantæ dignitatis tamque gratam Deo Patri, scilicet Christum; et denique quia offerunt non sola intentione, sed etiam cooperatione aliqua et influxu in actionem sacerdotis oblativam. Unde fit, ut omnes isti fructum ex sacrificio consequantur non tantum per modum meriti ex bono opere, sed etiam per modum impetrationis: qui fructus est a priore diversus, ut alias expositum non semel.

Prodest etiam hoc sacrificium (quantum ego existimo) omnibus his, qui ad illud quocumque modo etiam remoto concurrerunt: ut v. g. qui templum ædificarunt, qui altare erexerunt, qui vestes altarium, sacerdotum, ministrorum curarunt vel pararunt; qui ornarunt altaria ipsa, qui panem, vinum ministrarunt, proviserunt, pararunt sumptu laboreve proprio; qui libros huic sacrificio deservientes curarunt, impresserunt etc., si modo hi omnes id fecerint ex intentione sacrorum et sacrificiorum, hoc est ex devota piaque intentione applicandarum harum rerum ad usum sacrificii. Atque ita et dare signum sacerdoti ad sacrificium veniendi et res, quibus usurus est, parare, componere, ipsum etiam sacrum, quod dicturus sit, invenire atque his similia

minuta respicientia sacrificium, si ex devotione et reverentia erga illud fiant, habent fructum suum ex eo etiam per modum impetrationis. Quod fortasse intendit Ecclesia, cum in Memento priore ait, *quorum tibi fides cognita est et nota devotio: vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* His enim verbis non tantum circumstantes seu præsentes videtur velle complecti, sed etiam eos, qui, licet forte non sint præsentes personaliter, sunt tamen devotione et actu aliquo sacrificium concernente. Ex quo colligi potest, quam utile opusque sit reflexe peragere actiunculas hujusmodi, quæ alioqui a nobis tepidis et inconsideratis temere peraguntur.

Caput 8.

Quis fructus redundet ex Missæ sacrificio in sacerdotem ipsum offerentem.

Nemo plus utilitatis recipit ex sanctissimo Missæ sacrificio quam sacerdos ipse, qui offert; nemo enim tam est propinquus, intimus et, ut sic loquar, practicus et totalis exsecutor tanti operis tam Deo placiti, tam ex sese naturaque sua fructiferi, tam ad miserationes liberalitatesque divinas evocandas ac emungendas instituti, nemo tam illimitatus et arbitra-

rius dispensator atque arbiter tanti thesauri fructuumque ac effectuum ejus, quam sacerdos. Quod ut melius cognoscatur et in sacerdotibus sancta piaque avaritia excitetur, particulariter quædam de hoc fructu, sicut et supra factum est, dicentur.

1. Inprimis ergo recordari nos oportet sacrificium hoc esse latreuticum, eucharisticum, repræsentativum, honorativum Sanctorum Dei, impetratorium, propitiatorium. 2. Oportet nos meminisse hoc sacrificium offerri a sacerdote in persona Christi, cujus personæ respectu dantur beneficia a Deo tum ex justitia propter merita annexa, sive ex opere operato, tum ex liberalitate per modum impetrationis. Deinde in persona Ecclesiæ, postea in persona propria. 3. Oportet meminisse hoc sacrificium offerri a sacerdote Deo Christo, offerri in honore Sanctorum, offerri pro tota Ecclesia, offerri pro animabus purgatorii, offerri pro justis vivis, offerri pro particularibus personis, offerri pro ipso sacerdote: de quibus omnibus sacerdos recte pieque cum mereatur et virtutum multarum supernaturalium (puta adorationis, exaltationis, gratiarum actionis, amoris in Deum, proximum, in Ecclesiam, in mortuos, in se, item justitiæ, obedientiæ) actus exerceat: ab omnibus his fructum aliquem, vel gratiæ, vel im-

petrationis, vel præsidii, vel gratitudinis obtinet; præterquam quod meritum, gratiam habitualem virtutesque omnes in se adaugeat ac satisfaciat pro pœnis etc. 4. Oportet meminisse hoc sacrificium operari tum ex opere operato, tum ex opere operantis, juxta dispositionem operantis, quæ est in potestate voluntatis ejusdem liberæ. 5. Oportet meminisse hoc sacrificium prodesse ad meritum, cum sit opus bonum, immo optimum; ad impetrationem, cum sit oratio excellentis et efficacissimi generis; ad propitiationem cum sit oblatio satisfactionum Christi et repræsentatio atque renovatio earumdem. 6. Oportet meminisse hoc sacrificium non tantum esse, ut modo dixi, actionem bonam, honestam, supernaturalem, plurimos ac præcipuos actus virtutum qua theologicarum qua moralium continentem, sed esse actionem sacrificativam: id est excellentissimam et nulli præterquam Deo debitam, esse autem sacrificativam Dei-hominis ipsius: sacrificativam vero actione adeo ineffabili, scilicet transsubstantiativa panis et vini in Corpus Christi, actione incarnativa et hypostaticam unionem reproducente ac repetente, ita vere ac realiter, ut si alias non exsisteret, nunc ex vi actionis talis exsistere inciperet; actione deinde in loco personæ tantæ, quanta

est Christus, cujus personam gerit sacerdos, item in persona Ecclesiæ sponsæ Dei, cujus legatus est. Actione insuper in causa tali, qualis est salus, sanctificatio totius mundi, defensio Ecclesiæ et integritas, sanctificatio et profectus in virtute justorum, conversio per gratias actuales excitantes peccatorum, liberatio et solatium in purgatorio exsistentium, impetratio omnis generis bonorum saluti utilium, expiatio pœnarum temporalium remissis culpis debitarum: in causa uno verbo tali et tanta, immo eadem, quanta fuit causa incarnationis, mortis, totiusque œconomiæ Christi, exaltatio scilicet Dei et salus hominum. Esse præterea hanc actionem orationem in supremo orationis genere, cui forte ipse actus contemplandi cedit, si ille ipse non est aut modus speciesque vel effectus ejus supremus. Esse insuper actionem non postulantem solum, sed efficaciter infallibiliterque impetrantem; nec impetrantem solum, sed etiam satisfacientem atque exsolventem Dei justitiæ debita ejus a nobis, ita ut illa Dei justitia abolere teneatur. 7. Oportet meminisse sacerdotem esse dispensatorem fructuum hujus sacrificii omnium; et quorumdam quidem ita, ut eos non possit aliter, nisi prout institutum est, applicare; ipsum sacrificium et gloriam, adoratio-

nem subjectionemque, in cujus recognitionem fit sacrificium, soli Deo potest et debet applicare. Similiter gratiarum actionem pro beneficiis a Deo factis Christo, Ecclesiæ, Sanctis omnibus, eidem Deo debet. Similiter repræsentationem et glorificationem Christi Christo soli debet. Similiter fructum, qui de quolibet sacrificio ex Christi et Ecclesiæ intentione applicationeque soli Ecclesiæ, tam quoad viventes adhuc homines, quam quoad animas mortuorum indigentium debetur, soli etiam Ecclesiæ modo prædicto potest debetque applicare. Quorumdam vero, hoc est, reliquorum præter jam exceptos, ita ut possit licite, valide, meritorie pro suo arbitratu dispensare et applicare, modo ii capaces sint, ita ut sibi totum possit, si velit, servare; possit partem illi vel illi applicare, prout ipsi placuerit: rata omnia habente Deo et Christo et Ecclesia, tamquam ab eo gesta et dispensata, qui sit dispensator donorum Dei et mysteriorum Christi et personam gerat Christi et sit Ecclesiæ orator ac plenipotens. Qua consideratione quid possit in sacerdotibus sanctam avaritiam et cupidinem thesaurorum Dei gratiarumque excitare amplius, non video. Ne tamen quis ita stricte avarus sit, ut omnia sibi ipsi applicare velit, quæ posse eum sibi

applicare diximus: præsertim crebro; (esset enim hoc genus strictæ, ut dixi, avaritiæ animique illiberalis, parum christiani, parum digne copiosam Christi redemptionem immensaque merita et infinitam dignitatem summamque gratiam ejus apud Patrem ponderantis, valde in Ecclesiam et membra ejus ingrati atque crudelis et fere caritate Christi et proximi destituti) sciat unusquisque sacerdos tanto se plus percepturum commodorum, quanto ampliora petierit a Deo per sacrificium quantoque amplius dilataverit (quantum ex sua parte sit) effectus sacrificii. Sed hac de re alio loco. 8. Oportet meminisse sacerdotem offerentem sacrificium posse esse vel in gratia, vel extra gratiam.

His positis sacerdoti extra gratiam posito sacrificium Missæ nihil omnino prodest: ne eo quidem modo, quo peccatoribus prodesse posse proximo capite diximus; immo obest potius, quia sacerdos in peccato offerens sacrilegus est. Si tamen alius pro eo offerat, eumdem fructum potest referre, quem dixi referri a peccatoribus posse.

Sacerdoti in gratia posito et sanctissimum sacrificium offerenti demptis illis effectibus, quos excepi supra num. 7 omnes alios effectus fructusque advenire ex

sacrificio posse, si illis indigeat et si eos alteri non applicet, vel ex toto vel ex parte. Itaque advenit illi fructus sacrificii 1. ex persona Christi per modum operis operati; 2. item ex persona Christi, per modum operis operantis, seu per modum impetrationis; 3. ex persona Ecclesiæ, cujus legatus est; 4. ex persona sua ipsius, hoc est, ministri et offerentis, idque ex operato opere; 5. item ex persona sua ipsius ex opere operantis, seu pro dispositione sua tam habituali quam actuali: quanto enim sanctior erit Deoque gratior ac perfectior et quanto actualem dispositionem habuerit magis sublimem, magis Deo assimilantem, magis a creaturæ ratione semotam magisque in hoc ipso intensam et etiam extensam (pro discretione atque prudentia), tanto plus merebitur et fructuum aliorum percipiet; 6. advenit sacerdoti fructus ex sacrificio, ut est impetratorium atque orationis modus perfectissimus: et advenit immediate copia gratiarum actualium prævenientium, quibus incitetur vel ad pœnitendum de peccatis venialibus, quibus non caret, vel ad profectum statui perfectionis suæ juxta dispensationem providentiæ Dei accommodatum, et consequenter advenit illi mediate auctio gratiæ habitualis et omnium supernaturalium virtutum, si utetur

et accepit gratias prævenientes, quando dabuntur; 7. advenit etiam sacerdoti remissio pœnæ temporalis debitæ peccatis remissis, et quidem per modum impetrationis; 8. advenit itidem remissio pœnæ prædictæ ex eodem sacrificio, quatenus illud est propitiatorium; 9. advenit omne genus gratiarum ac donorum conducentium ad salutem juxta dispositionem ac placitum providentiæ Dei, præcipue autem illorum donorum, quæ sacerdos petiit, vel statui officiisque conducunt, si tamen Deo placuerit. Hæc vero omnia adveniunt copiosius vel parcius, efficacius inefficaciusque pro dispositione actuali sacerdotis. Intelligo autem actualem dispositionem directam ad actionem sacrificii, non ad alium finem; nam si alio directa sit, hujus ratio non habetur, quod etiam sentiendum de dispositione actuali aliorum, sed non ad sacrificii actum vel fructum; 10. advenit sacerdoti ex sacrificio augmentum meriti tamquam ex opere bono, immo summe bono, condigne peracto, sicut ex omni alio virtutis supernaturalis actu meritorio; 11. advenit etiam sacerdoti fructus sacrificii ex hoc ipso, quod illos supra dictos seu exceptos effectus ac fines obedienter ac pie applicaverit eo modo, quo applicari natura vel instituto debuerunt.

Hæc sunt fere principalia aut etiam omnia capita fructuum istorum, quos sacerdos ex sacrificio Missæ percipere potest, si eos nulli alteri seu personæ seu fini applicaverit. Quo loco adverte sacerdotem utiliter facturum, si aut semper ante sacrum suum, aut crebro, aut saltem semel pro semper faciat talem intentionem et quasi dispositionem de his fructibus: quod, quandocumque et quoscumque fructus sacrificii non applicaverit alicui certo fini certæve personæ, vel applicaverit personæ incapaci seu non indigenti finive, quem Deus non vult perfici: semper velit applicatos censeri sibi, in quantum eorum capax et indigus est. Si vero non sit indigus, tum vel peccatoribus talibus, vel peccatoribus in genere, vel amicis inimicisve suis, vel necessitatibus subditorum, superiorum, officiorum, negotiorum suorum, vel animabus purgatorii, iis quæ de societate, familia aut amicis tuis ibi sunt, quæ a nullo juvantur in particulari, quæ plurimum ad exsolvendum habent etc. Quamvis autem censeri possit sacerdos habere hanc intentionem pro se et sibi applicandi fructus istos hoc ipso, quod nulli alteri eos applicaverit, expedit tamen illo modo potius facere quam hac ratihabitione dubia niti. Quod si sacerdos aliquos fructus

prædictos aliis a se applicet, sive ex debito sive sponte id faciat: in tantum ii adveniunt ipsis, in quantum capaces aut indigentes sunt; si enim non sint, nihil illis advenit, et applicatio illa Ecclesiæ servit thesauro vel advenit sacerdoti ipsi juxta modo dicta. Ex ipso tamen actu applicationis supradictos fructus aliis sacerdos meretur plus minus, pro ratione devotionis in hac applicatione.

Ex hactenus dictis colligi potest, quantos fructus sacerdos in persona sua colligat vel ex unico sacrificio, si prudens sit et si sua bona norit atque talenta Dei cum fænore multiplicare. Colligi etiam potest, quanta perferat damna sacerdos, si in horum fructuum collectione sit aut ignarus aut incurius: nec perferat solum ipse, sed etiam afferat aliis, quos applicatione atque dispensatione fructuum istorum juvare ac ditare poterat, si paulo attentior diligentiorque in tanto officio fuisset. Colligi quoque hinc potest, quantus thesaurus sacerdoti in manus concreditus sit, quem in universitatem rerum creatarum et increatarum dispensare debeat. Colligi insuper potest, quanta sit sacerdotalis eminentia dignitatis, quam vix fas sit mente consequi, quam præferre omni creatæ dignitati et eminentiæ possis; quæ omnia Dei opera mirabilia

vel superet vel contineat vel assiduo renovet et assiduitate non mirabilia, sed plane familiaria, immo et vilia contemptibiliaque faciat. Ita viluit et sibi et nobis Deus, ut sacerdotis dignitas per divinæ dignitatis evilescentiam in immensum amplificaretur. Denique colligi potest, quanta cura, immo quanta curarum moles incumbat sacerdoti ita vivere, ita ad sacerdotale istud sacrificandi munus accedere, talem esse atque ita præparari: ut non indignus tanto muneri appareat, ut non incompositus ad talis operis exercitium accedat, ut non incongrue (horret animus vel cogitare) creatura vilis Deum Deo sacrificet atque immolet. Libet hoc caput concludere S. Chrysostomi iis verbis, quæ mirifice rem hanc sacerdotibus ponunt ob oculos: Sic igitur habet lib. 6. de sacerdotio paulo post initium. *Cum autem ille* (sacerdos) *et Spiritum Sanctum invocaverit sacrificiumque illud horrore ac reverentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assidue pertractato, quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera enim, quales manus illas administrantes esse oporteat, qualem linguam, quæ verba illa effundat, qua denique re non puriorem sanc-*

tioremve esse conveniat animam, quæ tantum illum tamque dignum Spiritum receperit? Per id tempus et Angeli sacerdoti assident et cælestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est: id quod credere licet vel ex tanto illo sacrificio, quod tum peragitur. Ego vero et commemorantem olim quemdam audivi, cum diceret senem quemdam, virum admirabilem ac cui revelationum mysteria multa divinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum a Deo esse ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium, denique sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente Rege stantes videat: id quod facile mihi ipse persuadeo. Item et alius quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id et vidisset ipse et audiisset, quod qui de hac vita emigraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sa-

crum, hinc recta in cælum abducuntur. Tu vero nondum exhorrescis, talem hanc animam in tam sacrosanctum introducens mysterium? eumque qui sordidas vestes induerit in sacerdotum dignitatem collegiumque cooptans, quem tamen a reliquo convivarum choro Christus expulit? Luminis instar universum orbem illustrantis sacerdotis animum splendescere oportet. Hæc Sanctus ille.

Ubi vide: si juxta S. Doctorem ii, qui ante mortem sanctissimum sacramentum pura conscientia recipiunt, ab Angelis in morte circumdantur et recta in cælum abducuntur: quid ab Angelis honoris et officii exhibebitur sacerdoti tota vita et conficienti et tractanti et sumenti adeo tremendum sacramentum, neque id modo, sed etiam insuper singulos in dies ineffabile ac horrore reverentiaque plenissimum sacrificium immolanti? certe dici posset aut deberet, sacerdotem, quoties talia peragit, si pura conscientia peragit, toties, id est, assidue, Angelorum stipari choris mediumque semper inter Angelos incedere ac versari, neque Angelos ab eo recedere, sed locum illum, in quo ipse est, in ejus honorem, quem immolavit et quo pastus est, Angelorum choris plenum esse.

Caput 9.

Quotupliciter fructus sacrificii in sacerdotem sacrificantem redundet.

Etsi hoc ex hactenus dictis patere facile posset, proderit tamen idipsum distinctius explicare. Dupliciter ergo ex sacrificio fructus ac effectus promanare possunt in sacerdotem. 1. ex ratione personarum, quas refert dum sacrificat; 2. ex ratione applicationis, quam facit. Quantum ad primum: Sacerdos dum offert sacrificium, repræsentat et gerit personam 1. Christi Domini, 2. Ecclesiæ, 3. suam ipsius, qua sacerdos est, 4. aliorum particularium, pro quibus offert speciatim, sive ex debito sive ex caritate. Igitur ratione omnium personarum prædictarum, quas gerit ac sustinet, fructus in eum profluit. Et quidem ex persona Christi promanat in eum fructus ex opere operato: promanat fructus etiam per modum impetrationis, de quo supra dixi c. 4. Hic autem fructus non est talis, quem Christus Dominus, in cujus persona sacerdos est, mereatur tunc, dum fit sacrificium, nihil enim Christus nunc meretur novum in sacrificio, sed tantum illud, quod olim sacrificio cruento in cruce meritus est, nunc de novo applicatur per

hoc sacrificium. Hujus igitur meriti a Christo in crucis sacrificio pridem parti sacerdos fit particeps et ejus applicationem accipit (immo ipse illud applicat tamquam immediatus dispensator hujus thesauri) secundum Paulum 1. Cor. 4; ex vi sacrificii (modo non sit incapax) accipit autem 1. ex opere operato, infallibiliter, independenter a dispositione sui in mensura, quam Deus novit, quam Christo ex pacto debet, quam ex justitia offerenti tenetur Deus præstare; accipit præterea 2. ex opere operantis sive per modum impetrationis a persona Christi ad Deum procedentis, quam personam impossibile est non exaudiri a Patre.

Hic fructus sacrificii, qui in sacerdotem, prout personam Christi gerit et prout in persona Christi sacrificat, tam is, qui ex opere operato, quam qui per modum impetrationis ex sacrificio advenit, talis est, ut eum vel utrumque vel alterutrum sacerdos applicare possit, cui vult: sive sibi ipsi utrumque, sive alicui alteri etiam utrumque, sive alterum sibi, alterum alicui alteri.

Hic etiam fructus talis est, ut in se includat rationem meriti, impetrationis et satisfactionis tam ex opere operato, quam per modum impetrationis. Rationem meriti sacerdos nemini potest applicare præterquam sibi ipsi, est enim personale quid.

Rationem impetrationis sive gratiarum prævenientium, sive aliorum beneficiorum communium, sive remissionis pœnæ peccatis debitæ, potest sacerdos applicare pro arbitrio: vel sibi ipsi omnia, vel distinctis distincta, ita v. g. ut sibi applicet impetrationem gratiarum prævenientium, alicui vivo capaci impetrationem beneficiorum aliorum; alicui defuncto impetrationem remissionis pœnæ etc. Rationem seu fructum satisfactionis etiam potest sacerdos vel sibi vel alicui vivo aut mortuo applicare capaci valide et licite.

Hic idem fructus talis est, ut, si applicetur alicui alteri, sacerdos tamen eum applicans eo non privetur non solum quoad rationem meriti, sed etiam quoad alias rationes prædictas. Ex quo constat hunc fructum ex sacrificio, prout a persona Christi, in qua offert, promanat, ita esse proprium sacerdoti, ut eo privari non possit; et ita esse in manu ejus, ut possit alium ejus participem facere absque suo damno. Ex quo constat ulterius liberalitas Dei et efficacia sacrificii istius. Constat præterea sacerdotem debere potius liberalem esse in hoc fructu applicando aliis, quam avarum applicando tantum sibi: quia, si applicat tantum sibi, alios privat; si applicat aliis, prodest illis, nihilo sese privans. Hic tamen fruc-

tus, qui alteri applicatur (licet sacerdoti ipsi non pereat, eo quod alius a Dei bonitate eidem reddatur): inter plures divisus, singulis minor advenit, quam si uni soli alicui esset applicatus. Ratio autem hujus observationis ista esse potest, quia sacerdos, quotiescumque offert hoc sacrificium, semper Christi personam gerit et in persona ejus offert. Ex quo sequitur, nullo modo fieri posse, ut tam ex opere operato quam ex opere operantis sive impetrantis Christi in eum fructus non derivetur, etiamsi fructum istum alteri applicet. Nam si Christus ipse nunc viator esset et offerret sacrificium (prout obtulit olim cruente) incruente, etiamsi ejus fructum pro aliis pro totoque mundo offerret, adhuc tamen ipse mereretur apud Deum Patrem pro sua parte id, cujus merendi esset capax: ita sentiendum est idem fieri de sacerdote, prout in persona Christi offert. Neque enim credibile est sacerdotem etiam ut applicantem fructum ex opere operato alteri, desinere personam Christi gerere, quod si gerit, sterile hoc et infructuosum esse sacerdoti non potest. Quod etiam de oratione simplici pro aliis fusa docetur. Hæc tamen dixerim salvo meliori judicio.

Hic præterea fructus talis est, ut sit intrinsecus et alligatus, præcipuus et ma-

xime proprius sacrificio, ita ut de hoc præcipue, immo (nisi aliter de intentione constet alicujus explicita ac distincta) de hoc solo intelligatur fructu, quando vel Ecclesia vel superior vel quis alius ex debito aut caritate vult pro aliqua persona offerri sacrificium. Intelligitur, inquam, velle, ut hic fructus ex opere operato, a persona Christi promanans ei adveniat istique serviat, adeo ut sacerdos, qui obligatur pro aliquo sacrum offerre, satisfaciat obligationi huic per hoc, si sacrificii hunc solum fructum ex opere operato ex persona Christi profluentem illi applicet, alios vero fructus ad alios dirigat, qui sacerdoti advenire possunt aliter ex sacrificio. Quem fructum sacrificii a sacerdote pro aliquo oblati, nisi ille vel sibi vel alicui alteri applicet, necesse est vel vacuum manendo devolvi in Ecclesiæ thesaurum, vel ad sacerdotem redire, præsertim si is eam intentionem habeat. Quocirca cum alicui sacerdos promittit sacrum unum vel plura: is diligens in hoc esse debet, ut fructus illorum sacrificiorum sibi promissorum ac in tempore habendorum, applicet vel sibi vel aliis certis finibus: et applicet, si vult, distincte, v. g. sacri a se dicendi fructum ex opere operato, prout in persona Christi peragitur sacrificium, applicet ei,

pro quo ipse deberet sacrum suum offerre; fructum item a persona Christi per modum impetrantis manantem, vel eidem vel sibi vel alicui alteri; fructum propitiationis animæ purgatorii, cui debitor est, et sic deinceps.[1]) Hæc, quæ dixi de applicatione fructus istius, dicenda sunt de applicatione aliorum fructuum sacri advenientium sacerdoti ex aliis capitibus proportionaliter. Hoc tantum hic addo, hunc fructum ex sacrificio, ut in persona Christi Domini oblato, esse omnium maximum, maxime certum, maxime curandum, maximi faciendum.

Jam ex sacrificio quatenus in persona Ecclesiæ oblato redundat etiam fructus in sacerdotem; cum enim pro tota Ecclesia sacrificium fiat, fit etiam pro omnibus membris ejus, inter quæ membra etiam sacerdos est, ac proinde etiam pro illo sacrificium fit, et sic redundat in illum fructus is, qui in alios quosvis fideles, Ecclesiæ filios capaces seu indigen-

[1]) Ita quando nos in Societate ex Regula ad intentionem Adm. R. P. N. Generalis sacrum dicimus: ejus intentioni tantum fructum illum, qui a sacrificio, prout in persona Christi fit ex opere operato, et ad summum per modum etiam impetrantis debemus; alios fructus aliis applicare possumus. Quod si dictus Pater Noster fructum prædictum nostrorum sacrorum nulli applicaret, ad Ecclesiæ thesaurum devolvitur, aut certe nobis deservit, præsertim si hanc conditionem in applicatione habemus.

tes. De hoc fructu dixi supra c. 4 prope finem, de illius infallibilitate etc. Hoc addo in præsenti: Fructum, qui ex sacrificio quatenus in persona Ecclesiæ oblato advenit Ecclesiæ ejusque membris ac in his etiam ipsi sacerdoti offerenti, non esse particularem aliquem, sed in genere; qualis est: quod Deus pacem Ecclesiæ det, quod provideat ei principes tam ecclesiasticos quam politicos idoneos, amantes, defensioni et curæ atque promotioni intentos, quod Sanctos largiatur, qui eam oratione, virtute, meritis, exemplo, prædicatione, doctrina, sanguine defendant. Quo etiam spectat, quod Deus personis Ecclesiæ publicis ac prælatis largiatur gratias aliquas particulares et magnas, sed communi bono Ecclesiæ profuturas, v. g. specialem directionem atque providentiam, item fortitudinem, felicitatem, sagacitatem, cautelam, opportuna consilia, per quæ vel occurritur futuris vel jam præsentibus malis. Cum enim a talibus personis multum Ecclesia et ejus bonum commune dependeat, ideo etiam providentia Dei fructum sacrificiorum Ecclesiæ communem iis personis præcipue et liberalius communicat et alligat, utpote talibus, ex quibus in alios particulares commodius redundabit; inter quales personas cum ordinarie sacerdos

etiam ipse possit connumerari — ordinarie enim aut sunt pastores, aut concionatores, aut doctores, aut confessarii multorum (esto absque exteriori apparentia, sed non absque ad multarum animarum curam extensione justitiæ aut caritatis lege professionisve jubente) — ideo sacerdoti non parum ex hoc fructu communi advenire credendum est, et credibile est cum eo gratias sacerdotales connexas esse cum eoque sacerdoti opportune donari: ideo etiam bene faciet sacerdos, si in suo sacrificio hunc etiam fructum diserta et explicata intentione ex sacro sibi poscet, quamquam absque hoc etiam adveniret illi, sicut et aljis Ecclesiæ membris advenit ex hoc ipso, quod sint in Ecclesia. Melius etiam faciet sacerdos (et idem dico de quovis membro Ecclesiæ capaci fructus sacri vivente), ut ad obtinendum efficacius copiosiusque fructum hunc sacrificii communem disponat se aliquo actu pio in Deum, cum intentione percipiendi tam prædictum fructum pro sua parte, quam omnem alium ex sacro manantem etiam gratiæ sanctificantis, quæ saltem media hac pii actus dispositione ex sacro derivabitur, idque respectu non solum sui sacri, quod offert vel audit, sed omnium totius mundi sive Ecclesiæ, quæ fiunt vel fient ipso vivo.

Ratione personæ quoque sacerdotis ipsius offerentis advenit sacerdoti ex sacrificio fructus peculiaris ac proprius dupliciter: 1. ex opere operato (sicut et in perceptione sacramenti accidit) qua de re nihil est, quod addam, nisi quod hic fructus sit magnus et a sacerdote magni faciendus, possit tamen etiam alteri applicari: æqualis ex omni sacrificio proveniens cuivis sacerdoti capaci, cum dispositionem non respiciat, nisi habitualis gratiæ in subjecto, ut per eam fiat capax: non autem ut pro magnitudine vel parvitate ejus sit major vel minor. 2. ex opere operantis, seu propter dispositionem ejus propriam, quam affert ad sacrum. Hæc autem dispositio non tam habitualis gratiæ requiritur (licet ista fundamentum sit et capacitas sacerdotis) sed præcipue actualis, ita ut, quanto majori cum devotione actuali sacerdos offert sacrum, tanto plus etiam percipit ex sacrificio, sicut et de receptione sacramenti doceri solet. Eam ob causam sacerdos, dum se ad sacrificium parat, non tantum se paret (quod tamen ordinarie solum, aut præcipue solum attendere solemus) ad illud sub hac ratione, quod communicaturus sit in eo vel quod consecraturus sanctissimum Sacramentum: ut hoc digne peragat utrumque et quam maxima

cum utilitate spirituali atque collectione: sed etiam, et quidem signanter ac principaliter sub hac ratione, quod sit sacrificium immolaturus ex Jesu Christi corpore et sanguine, adjuncta immolationi illi consecratione ejusdem etc., ita ut præparatio sacerdotis ad sacrum tria respiciat actionum genera; 1. sacrificium, quod est proprium sacerdotalis officii; 2. consecrationem; 3. sumptionem: immo et duas posteriores non solum respiciat, ut tales sunt præcise, sed etiam ut sunt ad sacrificii actionem ordinatæ. Constat enim et consecrationem absolute et sumptionem sacramenti eucharistiæ posse esse extra sacrificium et non in ordine ad illud; et de sumptione id palam quotidianumque est, cum et laici sumant, qui tamen non immolant. De consecratione vero nullum etiam dubium esse potest, saltem quoad valorem, esto non quoad licentiam; itaque consecratio et sumptio præcise possunt cum sacrificii actione non conjungi; ex Christi tamen institutione, qua sacrificium suum in lege nova sacramentumque eucharistiæ peragi et confici instituit, ista tria sunt connexa omnino, ita ut sacrificatio perageretur consecratione panis ac vini in corpus et sanguinem Christi. Consecratione dico non absoluta, sed quatenus tali, hoc est quatenus per illam vi

verborum non tantum fit transsubstantiatio substantiarum, sed etiam fit cum disjunctione ac separatione occisiva et destructiva natura sua rei consecratæ, quæ idcirco est hostia; vi enim consecrationis hujus ponitur separatim corpus Christi ut occisum sub specie panis, et separatim sangùis quasi effusus sub specie vini: occidi autem corpus vivum et sanguinem effundi, est immolari, offerri, sacrificari. Atque hac ratione consecratio, qua taliter facta, constituit rationem sacrificii estque substantialiter et essentialiter sacrificium. Sumptio porro eatenus ad rationem sacrificii pertinet, quatenus hostia, quæ consecratione fit ac producitur, sacrificatione vero immolatur ac offertur, utraque vero tam consecratione quam sacrificatione convivium ex hostia immolata pro fidelibus Christi, a Christo inque persona Christi instituitur, per sumptionem absumitur et ita sacrificium extrinsece perficitur, consummatur consumiturque ac ad finem suum sortiendum deducitur: siquidem (ut hoc etiam notem obiter) sacrificium ad hoc institutum est a Christo in Ecclesia, ut per illud (immo ex illo, ex re scilicet sacrificata) præparetur convivium conficiaturque sacramentum, et cum nemo paret convivium nisi ad comestionem, ideo ut iste finis sacri-

ficii, qui est præparatio convivii, obtineatur, ad completionem sacrificii sumptio desideratur. Atque ita sacerdos ad sacrum sese parans, non tantum ad sumptionem et consecrationem sacramenti qua talis intendere aut ad ejus condignam exsecutionem se præparare debet, sed etiam, immo præcipue quatenus est sacrificium consecratione peragendum, sumptione consummandum ac terminandum, sese quam potest decentissime dignissimeque ad illud disponat et persuasum plane habeat officii sui sacerdotalis partem in digna sacrificatione maxime positam esse, quæ sacrificationis dignitas supponit quidem sacerdotem a peccato immunem et in gratia sanctificante positum, præcipue tamen actualem dispositionem respicit, quantum attinet ad fructuum ex sacrificio in sacrificantem derivationem; pro illius enim mensura fructuum etiam mensura percipitur, præsertim si loquamur de impetrationibus gratiarum actualium; nam de remissione temporalis pœnæ peccatis remissis debitæ aliquod dubium est apud auctores: quorum aliqui volunt non respondere eam dispositioni, sed semper esse æqualem in omnibus, qui ejus capaces sunt. Quod, ut verum fatear, parum mihi probatur: cum non videam, quid obstet, quare Deus ho-

mini uni melius disposito non plus remittat de pœna seu de quovis debito, quam alteri minus disposito et de se merito, cum hoc et inter homines fieri videamus. Nec obstat hominem remissione pœnæ non fieri meliorem; vere enim, si non fit melior, fit felicior et solvitur a miseria pœnæ debitæ exsolvendæ, ad quam merito potest disponi per actus devotionis etc.; quamvis hoc contentus sim, quod remissio pœnæ non requirat actualem dispositionem, ita tamen ut, si illam inveniat, ejus etiam rationem habeat. At de præparatione ad sacrum digna non est hic disputandi locus, tetigisse supra dicta sufficiat.

De applicatione sacrificii, ex qua etiam fructum sacrificii advenire sacerdoti initio capitis diximus, nihil est, quod multa afferam; sufficiunt enim dicta cap. 8 n. 7; tantum monuerim utiliter sacerdotes, ut hujus applicationis praxim familiarem sibi facere curent; ingentes haud dubie fructus tam sibi quam proximis, vivis defunctisque, toti Ecclesiæ insuper in bonis tam spiritualibus quam temporalibus allaturi. E contra si negligentes in ea fuerint, plurimis sese totamque Ecclesiæ communitatem damnis affecturi, aut certe lucris privaturi.

Caput 10.

Quantus sit effectus sacrificii Missæ.

Omnia, quæ hactenus dicta sunt et quæ adhuc dicentur, fundantur in his, quæ hoc capite dicenda proponuntur: ex magnitudine namque effectus sacrificii Missæ pendet æstimatio, divisio, applicatio, procuratio ipsius, quam præcipue toto hoc tractatu investigare et tradere propositum est. Ante omnia porro certum esse debet cuivis, dum in præsenti quærimus, quantus sit, hoc est, finitusne an infinitus effectus sacrificii Missæ, non quæri a nobis de effectibus, qui a Missæ sacrificio in Deum, in Christum, in Sanctos dimanare possunt; scire enim nobis parum necessarium est, quanta sit mensura laudis, adorationis, gratiarum actionis, Dei, Christi, Sanctorum, quæ illis exhibetur in sacrificio suo cuique modo, sed sufficit nosse, quod sæpius jam dictum est, nullum esse præstantius genus colendi Deum, demerendi Christum, honorandi Sanctos, quam istud est per sacrificium. Est igitur quæstio de solis fructibus ac effectibus sacrificii per modum impetrationis sive suffragii et per modum satisfactionis. Quanti scilicet ii sint, hoc est, an per hoc sacrificium in-

finita bona temporalia, infinitæ gratiæ actuales excitantes, infinitæ pœnæ remissio, infinitis hominibus possit impetrari, vel pro peccatis pœnisve eorum satisfieri; an perinde tam multum impetretur per sacrificium pro multis oblatum, quam multum impetratur pro paucis vel pro uno etc. Quod ut explicetur, diserte sciendum est

1. aliud esse valorem ac dignitatem sacrificii Missæ, et aliud effectum ejus. Valor enim de facto est infinitus tum ob rem oblatam, tum ob personam primarie offerentem infinitam, quorum utrumque est ipse Christus. Effectus vero atque fructus de facto finitus est, an autem sit natura sua, an vero ex pacto et voluntaria Christi Deique Patris limitatione (sicut opera Christi Domini ex se naturaque sua erant apta, ut per ea plene, etiam absque ullo labore nostro redimeremur, ex pacto tamen et applicatione non faciebant hoc, nisi sola mors ejus) de hoc non disputo, sufficiat certum esse, quod effectus et fructus sacrificii hujus non sit infinitus de facto, quod quomodo sit intelligendum, ex sequentibus constabit. Sciendum igitur

2. quod aliud sit meritum Christi, aliud applicatio ejusdem. Christi meritum est infinitum, quantum ex se: applicatio vero

de facto non est infinita: unde etsi Christus infinitos homines redemerit, et per merita ejus, quantum ex parte eorum, salvari omnes, id est infiniti homines, et ab infinitis singuli redimi peccatis possent, si essent; de facto tamen finitis tantum hominibus merita Christi prosunt, quia finitis tantum applicantur. Sciendum

3. quod aliud sit mereri, aliud impetrare ac satisfacere: et potest aliquid competere uni, alteri non, vel aliud non. Ita mereri et satisfacere Ecclesiæ non competit, impetrare vero competit: unde per sacrificium, quatenus in persona Ecclesiæ offertur, Ecclesia nec sibi nec ulli meretur nec pro se nec pro ullo satisfacit: hoc enim est personale et requirit actualem internam immutationem ejus, cui convenire debet, præsertim meritum: impetrare vero potest; immo de facto et quidem infallibiliter impetrat, ut supra dixi: potest enim communitas et respublica per legatum aliquid impetrare sive munere misso per ipsum, sive oratione fusa, quorum utrumque est sacrificium per sacerdotem ab Ecclesia oblatum. Sacerdos vero omnia tria potest, immo et quilibet alius sacrificium offerens eo modo potest, modo capax sit. Sciendum

4. per sacrificium Missæ posse impetrari infinitæ pœnæ remissionem peccato

mortali debitam, sed prius remisso per actus aliquos ad id ordinatos, ac proinde mediate, et ita hic effectus est mediatus, non immediatus sacri. Et idem dico de gratia habituali. Per sacrificium Missæ non potest impetrari pœnæ temporalis remissio infinita, quia nulla est; alioqui temporalis non esset, sed æterna. Per sacrificium Missæ non possunt impetrari gratiæ actuales excitantes infinitæ, vel certe quantumvis magnæ alicui certæ personæ: alioqui unoquoque sacrificio possemus alicui gratias prævenientes impetrare copiosiores quam omnes Sancti simul habuerunt. Et alias etiam stultum esset dicere sacrum pro una aliqua gratia, pro uno particulari homine, pro una obligatione: sed melius esset unum dicere pro omnibus gratiis, personis, obligationibus: et idem valeret fieretque abunde satis contra omnem sensum et praxim. Neque ergo quoad gradum, neque quoad numerum infinitæ gratiæ obtineri possunt. Nam vel impetrarentur ex persona Christi oblati aut offerentis; sed hoc non, quia ad id sacrificium institutum non est neque debuit, quia non decuit: dedecet enim nos sine labore assequi salutem; vel impetrarentur ex persona sacerdotis aut aliorum offerentium: et hi sunt finiti, dispositio illorum finita, effec-

tus etiam oblationis ex persona illorum finitus est.

Per sacrificium Missæ qui interpretatur fructus, minor advenit singulis, quando pro pluribus, amplior, quando pro paucioribus applicatur, sive is fructus sit gratiæ prævenientes, sive remissio pœnarum, sive bonorum temporalium impetratio; finitum enim in plures partes divisum, in minores necesse est dividi, quam si in pauciores dividatur. Ex quo sequitur, si duabus animabus sacerdos debeat Missam singulis, non posse illum una Missa expedire utramque animam, quia minus obveniet utrique, quam si pro una sola obtulisset illum sacri sui fructum, cujus est capax anima in purgatorio; et ita debet duarum Missarum fructum, scilicet impetrationis pœnæ ambabus applicare. Missæ sacrificium quo devotione majori actuali sive a sacerdote sive ab aliis offertur, eo plus per illud a singulis offerentibus obtinetur; fructus enim respondet dispositioni, quæ est devotio actualis. Sacrificium Missæ quo a pluribus numero offertur pro aliqua re impetranda a Deo, eo plus efficaciæ affert ad Deum efficaciusque impetrat; singuli enim tantum impetrant pro sua parte, quantum impetrarent, ac si soli obtulissent, modo tamen singuli in solidum illud

sacrum Dei offerant et non composita devotione quasi eleemosyna. Itaque bene facit Ecclesia, quod, dum vult aliquid efficaciter a Deo impetrare, congreget homines in unum locum ad orationes et oblationes simul Deo faciendas; quo enim plures erunt, efficacius impetrabunt: qui iidem, quanto devotius rem agent, tanto adhuc efficacius rem peragent. Si tamen illi multi congregati unum quidem omnes sacrificium simul offerant, sed alii pro aliis causis vel personis, impetrabunt quidem illi aliquid singuli etiam ex virtute sacrificii oblati, non unietur tamen efficacia sacrificii.

Sacrificium Missæ etsi effectum, quem ex opere operato confert finitum, semper æqualem habeat et afferat, tamen ex opere operantis et habita ratione dispositionis in offerente non est ubique æqualis et semper, sed respondet proportione dispositioni et quidem proportione dupla (ut communiter docetur tum de augmento gratiæ ac meritorum, tum de effectu sacramenti Eucharistiæ suscepti cum devotione et devotionis augmento durante sacramento) ita ut, posito quod dispositioni v. g. ut duo, respondeat fructus ut quattuor, dispositioni ut quattuor respondeat fructus ut octo et dispositioni ut octo respondeat fructus ut sedecim et sic de-

inceps; habita tamen ratione dispositionis ejus, pro quo sacerdos offert, et non solius dispositionis in sacerdote sitæ: quod ideo dico, quia potest fieri, ut sacerdos dispositissimus offerat sacrificium pro tali homine seu ita disposito, qui parum admittit fructus sua dispositione, vel etiam nihil. Inde collige, quod, quando multi unum sacrum audiunt aut offerunt cum sacerdote, omnes et singuli tantos percipiunt effectus, quantas perciperent, si soli offerrent: neque tamen omnes in eadem æqualitate, sed qui devotius obtulerunt, plus fructus, qui minus devote, minus fructus in dupla tamen proportione, ut dixi. Sicut cum multi unam vocem contionationis audiunt, totam omnes audiunt, perinde ac si soli tantum audissent, melius tamen audiunt, qui acutiori pollent auditu, propius stant, attentiores sunt, uno verbo melius dispositi sunt ad audiendum.

Sacerdos in sacrificio Missæ, si in Memento multorum simul meminerit eosque uno veluti commemorationis actu Deo commendet pro eisque in sua persona sacrificium offerat, singulis prodest minus, quam si pauciorum meminisset. Quod si omnes et singulos singularibus et distinctis commemorationibus commendet, pro eis in persona sua sacrificium

offerendo, tantum prodest singulis, quantum prodesset, si unum solum commendasset. Ratio est, quia singulæ actiones distinctæ habent vim etiam distinctæ oblationis, nec impedit una aliam, perinde ut non impedit, quando distinctæ personæ distinctis oblationibus se ipsas vel suorum amicorum personas commendant offeruntque Deo in uno eodemque sacrificio. Dixi autem in persona sua, quia, ut in persona Christi sacerdos offerat et repetat oblationes prædictas, per hoc nihil augetur fructus; unica enim tantum oblatio in sacrificio fit ex persona Christi, quæ est ipsa consecratio, quam repeti nec licet nec decet et frustraneum est: non enim plus valebit aut effectus afferet centies repetita, quam semel congrue prolata. Sciendum tamen, quod etiam, quando ex persona Christi plures sacerdotes unam hostiam consecrant distinctis consecrationibus, ut fit in ordinatione sacerdotum, tunc singulis consecrationibus seu oblationibus respondet suus fructus ex opere operato, perinde ac si quilibet illorum solus separatim separatamque hostiam offerret atque consecraret, nihil enim impedit fructus multiplicationem unitas hostiæ, hæc enim formaliter semper una est eademque in omnibus sacrificiis, scilicet corpus Christi et sanguis: sicut

vicissim ad multiplicationem fructus nihil prodest multitudo materiæ et numerus quamlibet maximus, si totus una consecratione offeratur; primaria enim et formalis hostia, ex qua sacrificium fit, unica et eadem est, nempe Christus.

Caput 11.

Solvuntur aliquæ de applicatione fructuum sacrificii Missæ quæstiones.

Quæritur 1. Cum quis sacerdoti imperat, ut ad certam intentionem imperantis sacrificium offerat, et sacerdos non obœdit, sed ad aliam intentionem offert, cujus intentionem sequitur fructus? Respondeo, quod sequatur intentionem sacerdotis: quia hæc potestas applicationis fructuum Missæ ordinis est, et applicatio est actus ordinis, et ita fit proprie immediate in persona Christi, quæ non pendet a voluntate sive Ecclesiæ sive cujuslibet imperantis sacerdoti.

Quæritur 2. Si præcipiat quis sacerdoti (præcipiat dico, vel aliquo modo inducat auctoritate, prece, pretio etc.) ut in sacro orationes aliquas dicat ad ejus intentionem, et ille dicat ad aliam, cujus intentionem sequitur fructus orationum? Respondeo cum distinctione. Si Ecclesia

jubeat in sacro preces recitari ad suam intentionem, quod sæpe facit, licet illas sacerdos alio dirigat, valent tamen juxta Ecclesiæ intentionem, non secundum sacerdotis; quod ipsum dicendum est de fructu sacri impetratorio, quatenus ex persona Ecclesiæ offertur: de hoc enim fructu non potest sacerdos disponere eumque alienare ab Ecclesia vel ab intentione ipsius, sed est in arbitrio Ecclesiæ. Si vero quis alius jubeat preces dici aut velit, sacerdos tamen non sequatur ejus intentionem, orationum fructus, si quis erit, erit juxta intentionem sacerdotis.

Quæritur 3. Cum quis a sacerdote sacrum vult pro se fieri seu offerri, quid censetur velle et quem fructum sacrificii intendere? Respondeo: Si nihil aliud explicet in sua voluntate, imperio, prece, pacto, et sacerdos etiam nihil promittat nisi sacrum offerre, tum nihil et petens velle et sacerdos promittere censetur, nisi fructum sacrificii ex opere operato manantem ex illo, quatenus in persona Christi offertur; vel si quid amplius: fructum impetrationis etiam in persona Christi, et non amplius, vide supra cap. 9. Unde fructus sacrificii ut in persona Ecclesiæ oblati proveniens huc non pertinet, sed remanet Ecclesiæ semper: neque enim est in potestate sacerdotis, nisi sic,

ut eum Ecclesiæ applicet vel potius impetret tamquam legatus ejus. Fructus etiam sacrificii ut a persona sacerdotis oblati tam ex opere operato quam operantis proveniens, manet in potestate sacerdotis et potest illum applicare, cui vult.

Quæritur 4. Cum quis offert vel offerri vult sacrificium pro defunctis, quid ex eo defunctis vult advenire, aut quid defuncto advenit? Respondeo, id solum ex sacro defunctis advenit, cujus sunt capaces et indigentes; indigent autem sola remissione pœnæ temporalis, et hujus solius capaces sunt; hæc autem remissio in sacrificio fit tum per modum satisfactionis, tum per modum impetrationis sive suffragii, idque partim ex persona Christi, partim sacerdotis: ideo animabus sola remissio pœnæ advenit ex sacro, et quidem ea tantum, quæ ex sacrificio ut in persona Christi oblato manat satisfactorie vel impetratorie; quæ vero manat ex persona sacerdotis, ea est in potestate illius et potest illam applicare, cui vult, modo indigenti; quamquam hoc ipso, quod ipse sacerdos offert pro animabus sponte sua, censetur velle totum fructum talem animabus advenire, et quia fructus hic potest esse copiosus et tantus, quanto non indigent animæ, pro quibus applicatur aliquando, ideo bonum est,

ut sacerdos sub conditione etiam de superfluo disponat applicando illum alteri alicui animæ etc.

Quæritur 5. Quæ Missa plus defunctis prosit, illane, quæ dicitur vulgo Requiem, an quælibet alia eisdem applicata? Respondeo, suppositis, quæ proxime dicta sunt: si loquamur de fructu satisfactionis, utraque Missa æqualiter prodest: si autem de fructu per modum impetrationis sermo sit, tum ita sentiendum est: 1. Si spectetur impetrationis fructus præcise ex sacrificiis manans, æqualis est ab utraque Missa. 2. Si spectetur fructus manans ab orationibus, quæ in Missa utraque dicuntur a sacerdote ex Ecclesiæ institutione ac intentione, major est fructus impetrationis ex Requiem. 3. Si spectetur fructus manans ab orationibus iisdem ex intentione sacerdotis ipsius, major etiam est ex Requiem: atque ita ceteris paribus plus prodest Requiem defunctis quam aliud sacrum.

Quæritur 6. Plusne valeat Missa dicta pro aliquo a bono sacerdote et in gratia posito, quam a malo et peccati mortalis reo? Respondeo cum distinctione: Missa boni et mali sacerdotis, quatenus sacrificium est, æqualis est quoad fructum (licet malo sacerdoti nihil prosit, prosit autem bono in persona ejus) manantem

ex sacrificio tam in persona Christi, quam in persona Ecclesiæ oblato, tam ex opere operato, quam per modum impetrantis; quoad fructum vero manantem ex sacrificio, quatenus a persona sacerdotis offerentis fit: boni sacerdotis Missa prodest juxta dispositionem ejus actualem, sive ex opere operantis, et præterea ex opere operato, prodest autem seu sacerdoti ipsi, seu cui ille applicat; mali vero sacerdotis Missa quoad hoc nihil prodest omnino tam ipsi, quam alteri, immo ipsi nocet, peccat enim sacrilegio et consequenter alteri saltem nihil prodest.

Rursum Missa boni malique sacerdotis si spectetur, ut continet orationes fusas in persona Ecclesiæ: utriusque sacerdotis Missa quoad orationes dicto modo spectatas prodest: alioqui perplexi essent merito homines semper, dum sacrificia pro se offerri vellent. Hoc tamen loquor de Missa mali sacerdotis non excommunicati; nam si excommunicatus sit, is orationes in persona Ecclesiæ fundere non potest neque in eis a Deo exaudiri, quia, cum sit ab Ecclesia exclusus, non potest esse legatus ejus ad Deum, nec eo Ecclesia intendit uti ad hoc munus, immo intendit non uti. Quod si Missa spectetur quoad orationes prædictas in persona propria sacerdotum fusas, Missa

mali sacerdotis seu orationes ejus in sacro dictæ nihil prosunt nihilque impetrant, boni autem multum prosunt, immo tanto plus, quanto ille melior meliusque actualiter dispositus. Atque ita a toto genere Missa boni sacerdotis plus prodest quam mali, et absolute loquendo, si excludas fructum sacrificii ex opere operato in persona Christi oblati manantem, ad omnes alios fructus sacrificii multum prodest dispositio ministri vel augendos vel minuendos. Ex dictis collige 1. sacerdotem malum in Missa, ut ex persona Ecclesiæ aut Christi orat pro aliquo, semper exaudiri; ut ex persona sua, non exaudiri umquam; collige 2. quod oratio in sacro dicta pro aliquo tantum ex persona Ecclesiæ minus impetret, quam si dicatur pro eodem et ex persona Ecclesiæ et ex persona sacerdotis boni; et idem dicendum in oratione, quæ fit in Memento.

Quæritur 7. In quot partes dividitur fructus sacrificii universe (loquor de fructu impetrationis præcipue; nam meritum et satisfactio personalis fructus est, ut dixi non semel supra). Respondeo: In tres præcipue partes. 1. pars cedit Ecclesiæ in communi, et hujus præcipua capitibus et rectoribus Ecclesiæ; 2. pars cedit ipsi sacerdoti; 3. iis, pro quibus

sacerdos offert: quod si non offert pro aliis, sibi censetur applicare, vel certe ad Ecclesiæ thesaurum devolvitur. Atque ita sacerdos plurimum participat; nam et ex parte ad Ecclesiam spectante participat, cum sit membrum ejus et partem suam totam integram habet semper, et de tertia tantum participat, quantum aliis non applicat. Porro in qualibet parte harum trium tria potissimum genera bonorum includuntur, quæ impetrantur: 1. gratiæ actuales prævenientes, dispositiones, inspirationes, etc.; 2. remissio pœnarum temporalium peccatis remissis debitarum, non tantum illius, sed etiam hujus vitæ; 3. bona temporalia, quæ impetrantur per hoc sacrificium juxta Dei providentiam.

Quæritur 8. Cum quis offert sacrum ad purum gustum Dei, vel ex pura in Deum liberalitate, vel ex affectu gratitudinis solius etc. Respondeo: hujusmodi intentiones sacrorum ac sacrificiorum varie posse accipi ac fieri, adeo ut credam posse etiam reperiri prudentiæ defectum et damnum subiri a sacerdote. Breviter dico hujusmodi intentiones sublimes esse magnique meriti, modo intelligantur commode atque concipiantur. Igitur qui sacrum offert ad purum gustum Dei, hoc videtur velle 1., ut Deus sacro juxta

ejus considerationes omnes, quæ in eo fieri possunt, honoretur et quatenus sacrificium est, et quatenus apparatus convivii pro fidelibus, et quatenus reproductio Christi, et quatenus adorativum Dei tamquam summi principis, et quatenus repræsentativum gestarum a Christo rerum, et quatenus fit in persona Christi, in persona Ecclesiæ, etc., quatenus satisfacit, impetrat, meretur, his illis, hoc illud; 2. hoc videtur velle, ut Deus sacrificii sic oblati omnem fructum omnesque effectus ipsemet sua pura voluntate sine respectu ad offerentem sacerdotem ejusve voluntatem applicet: etiamsi vellet nullo fructu gaudere ipsum offerentem; quæ est ratio astuta cum Deo negotiandi, qui vinci se non sinit liberalitate a creatura, sed tanto plus donat ei, quanto minus se ab illo exspectare ostendit creatura; 3. hoc videtur velle, ut sese Deus suamque voluntatem expleat et nihil aliud uspiam fiat in mundo inque creaturis, nisi quod Deus vult voluntate beneplaciti, ad idque impetrandum sacrum offert, quod ipsum est summe Deo gratum agentique utile; 4. hoc videtur velle, ut omnes intentiones in sacro intervenientes a persona Christi, Ecclesiæ, sacerdotis, offerentium, audientium, et pro quibus offertur, eatenus efficaciam habeant, quatenus

Deo efficaciam haberi ab eis placet: qui modus intentionis etiam bonus est, neque excluduntur per illum aliæ intentiones aut applicationes; sed potius divinæ tantum voluntati subjiciuntur, ut effectum suum secundum beneplacitum ejus habeant, et non aliter. Quod si in illis prædictis modis sacra offerendi intenderetur solum Deus honorari et nullus alius sacri fructus percipi: zelus quidem iste bonus esset, at prudentia egeret; multi enim otiosi fructus remanerent et sic damno tam sacerdoti quam aliis esset. Nisi forte dicamus Deum simplicitate cordis illi soli placere et quam optime esse cupientis delectari et ita supplere de sua bonitate, quod a prudentia offerentis deesset. Itaque qui hujusmodi excelsis intentionibus uti in sacro offerendo delectatur, faciat illas juxta prædictos quattuor sensus, vel certe faciat intentiones applicationesque, quas volet aut alias solet, et tandem finaliter omnes ad purum Dei gustum explendum, vel ex affectu gratiarum actionis pro beneficiis, vel ex affectu gaudii de bonis Dei, vel ex affectu hoc illudve bonum impetrandi intendat. Possum enim v. g. fructum sacri aliquem applicare animæ purgatorii, aut pro pœnis meis temporalibus, aut pro gratiis impetrandis, aut pro successu negotii feliciter obtinendo,

quia id Deo placet, ad gustum Dei, quia Deus dignus est etc.

Quæritur 9. Ad quid sese diligentius sacerdos parare debeat, ad sacrificium offerendum, an ad sacramentum Eucharistiæ suscipiendum? quæ item quæstio fieri potest, si sacerdos offerens cum non sacerdote communicante conferatur. Respondeo: Si pro utraque parte esset disputandum ac rationes afferendæ, vix judicari posset, quæ rationes quibus præstent, utrique enim graves militant, immo eædem et ex iisdem principiis divinæ dignitatis et humanæ utilitatis, divinæ dignationis et humanæ indigentiæ elevationisque desumptæ. Dixerim et censuerim 1. ad utramque actionem adhibendam esse eam, quæ maxima adhiberi potest ab homine, curam atque præparationem et devotionem actualem, puritatem quoque ac sanctitatem habitualem; 2. a sacerdote putarem non esse hasce præparationes ad has actiones separandas, sed prout hæ actiones sese respiciunt in sacrificio et una ab alia est, una ad aliam terminatur, sic etiam sacerdos se disponat ad digne sacrificandum, ut hoc ipso etiam intendat se disponere ad digne communicandum et vice versa juxta dicta cap. 9. supra; 3. si pro utraque parte dicendum est aliquid, existimo quod ad ac-

tionem sacrificationis intensius, ad actionem manducationis Eucharistiæ extensius debeat esse devotus sacerdos. Ratio primi est, quia sacrificatio brevis est actio, et cum solis dumtaxat formæ prolationibus, si præcise loquamur, durat: ergo quod per moram temporis fieri non potest, fiat per intensionem devotionis augmentumque dispositionis. Ratio secundi est, quia sumptio sacramenti moram habet et ipsarum duratio specierum in sacerdote spatium dat augendæ intendendæque devotionis vel extendendæ; quamdiu enim species durant sacramentales, tam diu est sacramentaliter præsens Christus in sumente, atque quantum eo tempore auxerit quis in se devotionem actualem intensive et extensive, tantum in eo adaugebitur fructus sacramenti. Et quod dixi de dispositione ad actionem, id multo magis sentiendum est de exercitio ipsarum actionum.

Quæritur 10. Qualisnam possit esse distributio fructuum sacrificii Missæ? Respondeo: id ex dictis toto hoc tractatu patere; deinde id pendet præcipue ex sacerdotis libertate et aliis circumstantiis, quæ voluntatem sacerdotis ad talem vel talem applicationem, distributionem partitionemque inclinare debent vel possunt. Denique potest sic vel simili modo fieri

hæc partitio. Ante omnia quæ sunt Dei Deo, quæ Christi Christo, quæ Sanctorum Sanctis, quæ Ecclesiæ Ecclesiæ reddat sacerdos provenientia ex sacrificio: tum fructum sacrificii operis operati, prout fit a persona Christi, applicet ei, cui debitor est sacri, et eum quidem, cujus mortuus capax est, applicet mortuo, si cuipiam debet forte ac is indiget; eum vero, cujus non est capax mortuus, applicet vel vivo alicui, cui etiam debitor est aliquo modo, vel sibi etc.; fructum vero sacrificii prout in persona Christi oblati per modum impetrationis venientem, vel supra dicto modo ex abundanti his, quibus sacrum debet, applicet, vel ad alias necessitates suæ personæ, suis officiis indigentiisque, vel alicujus alterius seu communitatis seu privati hominis, unius vel plurium convertat. Fructum sacrificii advenientem, ut in persona ipsius sacerdotis offertur tam ex opere operato, quam ex opere operantis, eodem modo partiatur, quo jam dictum est, sed vel in alios vel in eosdem fines. Fructum sacri ab orationibus dependentem, quæ sunt in sacro, quatenus in persona Ecclesiæ illas dicit, potest sacerdos Petro, quatenus in persona sua easdem dicit, potest Paulo applicare. Fructum sacrificii per modum satisfactionis provenientem, tam ex parte

personæ Christi, quam ex parte ipsius sacerdotis, eodem modo applicare potest vel utrumque, vel alterum sibi, vivis, mortuis, pro remissione scilicet pœnæ temporalis debitæ peccatis remissis, vel potius, eo fructu potest satisfacere pro dicta pœna, applicando eum ad hunc finem, in quantum exigit capacitas et indigentia eorum, quibus illum applicat: quæ indigentia, si forte non adsit his, quibus applicat, in omnem eventum sub conditione applicare intendat aliis indigentibus certis; quod ipsum in aliorum fructuum applicatione prædicta servandum est.

Quæritur 11. An possit uno sacro habito sacerdos pluribus debitis satisfacere, si videlicet pluribus sacra debeat. Respondeo: cum limitatione, quæ ex dictis quoque in eodem sensu patere potest. Si sacra totaliter debeantur pluribus a sacerdote, non posse uno pluribus satisfieri, ut per se patet; quia vero vix umquam contingit, ut sacerdos unum sacrum, hoc est fructum unius sacri totalem atque omnem uni alicui debeat, nisi id expresse expliciteque sit promissum ab eo, vel injunctum ab eo, qui possit injungere, ideo potest partiri sacerdos fructum unius sacri sui, ita ut pluribus, quibus debet, abunde satisfaciat. Exemplo res fiet clarior. Petit a sacerdote unus, ut

Deo gratias agat per sacrum habitum pro beneficio sibi facto; alius vero petit pro anima patris sui mortui orari (quem putat indigere) sacrumque offerri; alius petit pro se in sacro orari; alius petit sibi impetrari a Deo gratias actuales prævenientes seu dispositionem ad aliquid boni spiritualis; alius petit sibi impetrari quidpiam temporale; alius petit pro remissione peccatorum, vel potius pœnæ peccatis suis debitæ sacrificii fructum satisfactorium ex Christi vel sacerdotis persona applicari etc., omnibus his sacerdos promittit et se debitorem facit, omnibus his unico sacro satisfacere potest absque ullius injuria: reddet enim omnibus eum sacrificii fructum, quem quisque petiit, perinde ac si cuilibet ex alio alioque sacrificio applicasset, quod quidem in iis Missis, quæ vel pro defunctis, vel pro Indiis, hæreticis, vel pro aliquibus causis particularibus offeruntur, præcipue servandum esset. Atque ex dicto exemplo plura similia sacerdos prudens colligere formareque poterit.

Quæritur 12. Si quis petat a sacerdote, ut in certo loco, videlicet celebri miraculis vel Sanctorum reliquiis sacrum faciat, quid habet utilitatis ex illo sacro ibi dicto? Respondeo: Si nihil petat amplius, nisi in illo loco sacrum dici, nihil

plus referet utilitatis, quam quantum debetur illi curæ impensæ, ut in eo loco sacrum habeatur, ceterum totum sacrum est in dispositione sacerdotis atque fructus ejus. Si vero petat pro se ibi sacrum dici, tum referet fructum sacri illum, qui ex opere operato in persona Christi provenit. Estque idem judicium formandum, quando quis petit dici sacrum votivum de aliquo Sancto in honorem vel votivum aliud sacrum; si enim nihil aliud petat vel intendat, nihil amplius referet fructus ex illo sacro habito (præsertim operis operati), nisi quantum debetur illi curæ, quam posuit, ut ejus nomine ritus ab Ecclesia in honorem talis sancti instituti in sacrificio expedirentur a sacerdote, reliquus vero fructus totius sacri in manu remanet sacerdotis, quem proinde sacerdos applicare potest, cui vult.

Caput 12.

Quomodo per sacrificium Missæ obtineantur indulgentiæ.

Inter indulgentias concedi a summis Pontificibus solitas solent etiam concedi communionibus ab aliquo factis faciendisve in ordine ad earum consecutionem. Jam vero cum sacerdotes raro commu-

nicent, sed ordinarie sacrum faciant, videtur, quod aut hoc genere indulgentiarum communionibus concesso potiri non possint, aut certe illud per sacrificium Missæ a se oblatum obtinere debeant. Quod an sit ex mente concedentis, dubium est, item dubitari potest, quomodo id fieri possit. Ad hoc ergo expediendum

Notandum 1. est, communionem duplicem esse, aliam laicam, aliam clericam: illa est, quæ extra sacrificium et a non sacrificantibus peragitur; hæc, quæ in sacrificio Missæ fit a sacrificantibus, a quibus sicut offertur, ita et absumitur sacrificium.

Notandum 2. vix uspiam exstare in indulgentiis concedi solitis, ut ad consecutionem indulgentiæ alicujus requirat Summus Pontifex sacrum seu sacrificium, ut sacrificium est seu ut consecrationem continet, sed tantum fere ut communionem, accipiendo partem pro toto, et nomine sacrificii communionem intelligendo, maxime si sacrificium substantialiter essentialiterque constituatur (ut aliqui[1]) volunt) in communione.

Ex his colligitur indulgentiam obtineri

[1]) Nota Editoris. Ex. gr. Ledesma et Dominicus Soto; secundum communem tamen sententiam theologorum essentia sacrificii Missæ in consecratione consistit, communio vero requiritur ad integritatem sacrificii.

posse tam laica quam clerica communione, si ad ejus obtentionem requiratur communio; vix enim dubitari potest, quin a concedente intelligatur communio absolute sive Eucharistiæ sumptio, sive illa fiat a non sacrificante, sive a sacrificante: tum quia non est mens Pontificis excludere sacerdotes ab indulgentiæ consecutione, tum quia alias putaret aliquis sacerdos præstare negligere sacrificium et tantum communicare laice propter indulgentiam, tum denique, quia communio clerica nihil omnino minus habet a communione laica. Quin immo crediderim sacerdotem lucrari indulgentiam posse semel communione speciei panis, secundo communione speciei vini: sicut et puto posse a sacerdote offerri communionem sub specie panis pro uno fine aliquo, v. g. pro seipso, communionem vero sub specie vini pro altero fine, v. g. pro amico vivo aut mortuo, pro negotio etc., nihil in hoc apparet absurdi. Et quamvis in communione sacerdotali sive clerica videatur esse unica, sicut hostia principalis, scilicet Christus, ut supra vidimus, tamen quia est sub specie duplici et utrobique totus Christus continetur, necesse est dicere eumdem utrobique bis sumi, duplici ergo communione. Quod etiam confirmari potest ex dato casu, in quo

sacerdos facta consecratione panis et vini in corpus et sanguinem sumeret tantum panem, alius vero sacerdos sumeret calicem: procul dubio in hoc casu ambo sacerdotes communicarent; igitur et quando utrumque ab uno absumitur disparatim, ut ordinarie fit, tunc bis etiam communio peragitur, ratione quidem sacrificii partialiter forsitan, ratione vero Eucharistiæ communionis seu sumptionis, totaliter. [1])

Colligitur præterea ex prædictis, si quando Summus Pontifex ad obtinendam indulgentiam requirat sacrum Missæ: id posse intelligi tam de sacrificio, ut sacrificium est consecrationemque continet, quam de sacrificio seu sacro, ut communionem seu sumptionem complectitur. Quid vero sit horum hic et nunc de mente Pontificis, ex contextu verborum intelligendum est: quamquam id puto referre parum quoad consecutionem indulgentiæ ab eo, qui utrumque faciat, nempe et sacrificet et communicet; quidquid enim Pontifex requirat ex his duobus, utrum-

[1]) **Nota Editoris.** Non una est theologorum circa hanc quæstionem sententia. Probabilius videtur dicendum, unam esse cenam et refectionem — convivium — unam ergo etiam et communionem (cfr. Noldin III [10]. n. 99). — Quoad indulgentiam notandum, quod una eademque communio sufficit ad lucrandas plures indulgentias pro eadem die concessas, quarum singulæ communionem exigunt (S. C. Indulg. 29. V. 1841, n. 291).

que an alterutrum: satisfacit ejus menti ac proinde ex hoc capite satisfacit conditioni ad indulgentiam lucrandam requisitæ. Quod si Summus Pontifex ita concedat indulgentiam, ut ad eam requirat vel sacrum, intelligendo consecrationem ac oblationem, ita ut a sacerdote intendat obtineri posse indulgentiam, a quocumque communio fiat: tum existimo a sacerdote offerente sacrificium bis in tali passu obtineri indulgentiam posse; nam et sacrificat sive offert, per quod mens est Papæ obtineri posse indulgentiam, et communicat etiam eamdem illam oblationem sive hostiam oblatam, per quod etiam Papa obtineri voluisse indulgentiam supponitur. Hoc tamen dixerim totum salvo meliori judicio. Alioqui puto in praxi sub tali conditione non solere Missam ad obtinendam indulgentiam a Summo Pontifice requiri.

Caput 13.

Quomodo liberentur animæ ex purgatorio sacrificiis Missæ, tum ad altaria privilegiata, tum ex privilegio.

Ad hanc quæstionem expediendam suppono

1. Esse morem in Ecclesia frequentem, ut in templis designentur altaria pri-

vilegiata, seu a Sede Apostolica tale privilegium habentia, ut sacro apud illa pro defunctis dicto liberetur anima e purgatorii pœnis. Suppono

2. Esse etiam morem in Ecclesia, ut a Sede Apostolica concedatur personis certis facultas liberandi animam e purgatorio, quo sacro volent, et ad quod altare volent. Suppono

3. Indulgentiam aliud esse nihil quam condonationem pœnæ temporalis in purgatorio luendæ aut in facie Ecclesiæ a summo Pœnitentiario assignandæ, juxta morem primitivæ Ecclesiæ, in qua mos erat assignare peccatis publicam vel privatam pœnitentiam etiam certis annis peragendam, et aliquando nonnisi in articulo mortis consummandam. Suppono

4. Pœnam hanc temporalem tam in purgatorio luendam, quam in hac vita a confessario assignatam vel assignandam duobus modis remitti posse atque indulgeri: 1. absolutione. 2. solutione. Absolutione quidem per potestatem clavium; solutione, seu pretii æqualis debito oblatione atque compensatione. Uterque hic modus vivis convenire potest; hi enim et absolvi sacramentaliter possunt et solutionem pro suis alienisve peccatis præsentare atque per eam debito pœnarum sese exsolvere. At vero mortuis non

competit modus nisi posterior, scilicet solutio; absolutio enim clavium in mortuos non cadit, ut qui jam sint extra jurisdictionem Papæ et Ecclesiæ, alioqui posset Ecclesia et Papa exhaurire purgatorium, quando et quoties vellet, quod nec dicere nec credere expedit; solutio ergo servit sola mortuis: quæ quidem ab illis potest præstari et pro illis: ab illis, uno tantum modo, satispassione scilicet; pro illis autem satisfactione præcipue pœnali, ut jejuniis, flagellis et aliis afflictionibus, item eleemosynis et orationibus, sacrificiis quoque, et deinde solutione per meritorum Christi Domini atque Sanctorum de thesauro Ecclesiæ sumptorum applicationem: quæ meritorum applicatio animabus mortuorum facta a vivis est solutio et, cum est æqualis debito, est plena, unde indulgentia dicitur plenaria; cum inæqualis, non est plena nec plenaria, sed horarum, dierum, annorum etc., et hæc oblatio sive applicatio talium meritorum ex Ecclesiæ thesauro desumptorum est diciturque indulgentia per modum suffragii, non autem absolutionis. Quando igitur Pontifex dat facultatem alicui sacerdoti, ut possit animam liberare e purgatorio, per quod volet sacrificium, vel certe ad altare privilegiatum, tunc Pontifex concedit sacerdoti, ut sa-

crificio suo applicet e thesauro Ecclesiæ tantum solutionis, quantum illi animæ, quæ indigere putatur, necessarium est ad solvendum penitus ex toto: et ideo dicitur plenaria indulgentia; si enim non esset illa solutio æqualis animæ debito, esset quidem illa indulgentia, sed non plenaria, verum sola refrigeratio et aliquanta pœnarum remissio. Ubi obiter noto: etsi nihil sit opus certam determinare animam, pro qua velis ex privilegio tuo vel altaris solutionem ex thesauro Ecclesiæ desumptam applicare, posse tamen id fieri, et ordinarie conveniens esse, quin immo consultum est, aliam etiam animam substituere sub conditione, si illa prior non indigeret. Quamquam etiam laudabile est determinationi divinæ voluntatis relinquere animam liberandam; hoc enim Deo non potest non esse gratissimum, cum id ejus beneplacito defertur: quod etiam valet dicere de applicatione fructuum Missæ sacrificii.

Dices: Utique singulis sacrificiis anima liberari potest, cum singula sint satisfactoria, videtur ergo nihil esse novi in hac Pontificia concessione, sive illa personæ, sive alteri fiat. Respondeo: Verum esse, quod singulis sacrificiis ex vi sacrificii remittatur aliquid pœnæ illius, pro quo offertur, nempe pars aliqua Deo soli no-

ta, quia et ab illo solo determinabilis; at vero quando ex privilegio pontificio prædicto celebratur Missa, tunc offertur tanta solutio, quanta est necessaria animæ in purgatorio detentæ. Unde hæc oblatio privilegiata seu ex privilegio orta differt a satisfactione sacrificii illa ordinaria, quia hæc privilegiata est plenaria et totalis remissio pœnæ, illa vero sacrificii propria est partialis, hæc est per modum suffragii consistentis in acceptione divina infallibili, quia promisit ratam fore; illa vero est in quasi physica causalitate; hæc constituitur voluntate et potestate Papæ volentis sub conditione operis talis (puta sacrificii) impendi talem effectum, illa vero virtute sacrificii constituitur. Unde etiam Pontifex non auget prædictis privilegiis sacrificio vim satisfactivam, sed ex justa causa requirit ad talem effectum consequendum (qualis est per indulgentiam animæ liberatio) Missæ sacrificium, ab homine vivente honorativum Dei, tamquam conditionem: idque sive sacrificium offeratur ad altare privilegiatum, sive a persona tantum habente privilegium.

Ex dictis collige sacerdotem habentem jus sacro, quo sibi libeat, liberandi animam, sive etiam ad altare privilegiatum, posse singulis sacris suis per modum suffragii et solutionis hoc beneficium præ-

stare animabus, ita ut fructum satisfactorium sacro proprium applicet uni animæ: fructum vero item satisfactorium de thesauro Ecclesiæ depromptum ad conditionem positam nempe sacrum, alteri a priori distinctæ, vel eidem utrumque. Atque ita qui hoc jure potiuntur, debent (si animabus commodare volunt) semper aliquam certam juxta suum Deive alicujusve petentis vel imperantis jusve habentis arbitrium animam designare, quam velint ex vi sacri et ex vi privilegii a pœnis liberari. Pro fine hujus capitis adverto, pœnas temporales, quæ incumbunt luendæ animabus, esse illis jure divino debitas; a quo jure non possunt pro puro cujusquam arbitrio (excepto Deo) eximi: et ideo Pontifex sine rationabili causa non potest in eo jure dispensare per indulgentias, alias, ut supra etiam in simili dicebam, posset Pontifex evacuare purgatorium pro libitu suo, sed debet ad concedendas indulgentias causam habere justam et rationabilem, videlicet finem aliquem Deo gratum et gratiorem nostris sive animarum pœnalitatibus et cruciatibus.

Caput 14.

Quid sit faciendum cum actionibus et orationibus, quæ in toto Missæ sacrificio interveniunt.

Pro intellectu quæstionis præpositæ notandum est 1. in Missæ sacrificio præter essentiam sacrificii a Christo institutam et consistentem in verbis consecrationis, multas alias intervenire actiones, lectiones orationesque ab Ecclesia institutas.

Notandum 2. duplicem esse Missam, seu duas partes esse Missæ. Una est Catechumenorum, sic dicta, quia huic tantum interesse poterant Catechumeni, finita autem illa egredi debebant de templo et hæc Missa seu pars Missæ complectitur illa omnia, quæ a Confessione sive Introitu usque ad Offertorium recitantur exclusive; quæ omnia instituta sunt ab Ecclesia partim præparationis causa, ut Confessio et Introitus, partim invocatione misericordiæ divinæ, ut Kyrie eleison; partim laudis divinæ a sacerdote instituendæ, ut Gloria in excelsis, partim cohortationis, ut Epistola et Evangelium; partim confitendæ et prædicandæ fidei, ut Credo etc., partim tollendi silentii, ut Graduale et Tractus. Hæc omnia in per-

sona Ecclesiæ et in finem Ecclesiæ sunt recitanda: in his enim non potest minister Ecclesiæ mutare voluntatem et intentionem Ecclesiæ. De orationibus seu collectis inferius dicam. Alia est Missa fidelium, quæ ab Offertorio ad finem usque protenditur: hæc actualem exsecutionem sacrificii continet et partim oblationem, partim consecrationem seu immolationem, partim communionem sive sumptionem complectitur, omnia cum suis præparationibus. Hujus Missæ seu partis Missæ unus idemque est finis et sensus et ideo menti Ecclesiæ in ea est serviendum a sacerdote, ut scilicet faciat, quod facit Ecclesia, nempe consecrationem et sacrificationem, cujus fructum applicare sacerdos, cui vult, potest juxta dicta superius et dicenda inferius. In hac Missa omnem quidem populum præsentem, præcipue tamen sacerdotem ipsum oportet esse summe attentum, devotum, collectum, reverentem Dei, ardentem et plane igneum, quippe tunc sacerdos maxime super naturam est et videtur exuto homine Christum ipsum induere ejusque in persona stupenda ipsis Angelis opera patrare.

Jam ad orationes seu collectas quod attinet, quæ in Missa Catechumenorum fiunt: (Secretæ enim et Postcommuniones in Missam fidelium ingrediuntur, et Ec-

clesiæ intentioni deservire debere videntur) Collectæ igitur in persona Ecclesiæ recitandæ sunt et debent offerri pro iis, quibus fructus sacrificii ex opere operato debitus est; quibus autem non debitus est, neque iis ex debito offertur, pro iisdem quoque orationes prædictæ offerri possunt ad arbitrium sacerdotis; possunt etiam pro aliquo alio juxta idem sacerdotis placitum. Et hoc idem posset dici proportionaliter de Secretis, maxime vero de Postcommunionibus. Ex dictis inferri potest 1. Si aliquo die solemni, in quo rubricæ prohibent fieri aliquas commemorationes, sacerdos ex debito offerat pro anima in purgatorio fructum satisfactorium sive expiatorium, non tenetur illo die commemorationes et facere et offerre pro defuncto. Si vero id debeat facere die non impedito solemnitate prædicta, tenetur sacerdos animæ prædictæ Orationem illam in Ecclesiæ persona applicare: neque tamen opus est, ut dicat sacrum Requiem: in hoc enim etiam sacro sola fere Oratio ex omnibus, quæ in sacro illo dicuntur, vim habet ex intentione Ecclesiæ juvandi defunctos, reliqua vero aliis intentionibus deserviunt. Itaque si oratio dicatur, satisfacit debito, quo supponitur sacerdos obligari animæ alicui. Quamquam etiamsi orationem non dicat

defunctis servientem sacerdos, quando ex debito offert sacrum pro aliquo defuncto, puto illum satisfacere debito: nisi ex peculiari aliqua ratione etiam orationem aut sacrum Requiem dicere teneatur.

Inferri potest 2. Si sacerdos in sacro faciat plures collectas arbitrarie, has ab illo posse fieri ad suæ voluntatis intentionem: modo ne istiusmodi orationes multiplicentur valde, item ne contra mentem rubricarum fiant.

Inferri potest 3. Si sacerdos offerat sacrum ad intentionem suam arbitrariam, potest orationes seu collectas pro alio fine offerre, et pro alio alias sacri actiones, et item pro alio ipsos sacrificii fructus etc.

Caput 15.

Exponitur modus distribuendi fructum sacrificii Missæ et actionum in eo intervenientium.

Hæc, quæ in superioribus capitibus exposita sunt de diversitate fructuum atque effectuum sacrosancti Missæ sacrificii, exigere videntur, ut aliquis modus summarie proponatur, juxta quem possit dividi fructus iste tam multiplex: id igitur hoc in capite explicabitur.

His ergo suppositis multiplicibus effectibus atque fructibus et consequenter finibus sacrificii, qui simul et semel possunt consistere in sacerdotis intentione, quos hic copiose repetere non est necesse, cum jam supra explicati sint: salvo meliori judicio posset cujuslibet sacri fructus a sacerdote in sex classes dividi (fructus nomine intelligendo omnem effectum Missæ) et quælibet classis suum ad finem cui a sacerdote converti.

In prima classe poni hæc possent, oblatio sacrificii 1. in honorem sanctissimæ Trinitatis; 2. in adorationem ejusdem recognitionemque supremi ejus in omnia dominii; 3. in gratiarum actionem pro beneficiis cuilibet in genere, specie, individuo, creaturæ præstitis; 4. in repræsentationem atque commemorationem personæ, gestorum, passionis institutionisque Jesu Christi; 5. in honorem Jesu Christi; 6. in honorem B. M. V.; 7. in honorem Sanctorum tum omnium in genere, tum horum nominatim, ad arbitrium sacerdotis, vel juxta diei exigentiam atque officii ecclesiastici; 8. ad intentionem Ecclesiæ universalem.

In secunda classe poni possent hæc: 1. fructus impetrationis ex persona Christi proveniens ex opere operato; 2. idem fructus ex eadem persona proveniens ex

opere operantis; et quidem fructus triplex: a. beneficiorum temporalium, b. beneficiorum spiritualium, c. veniarum; hæc enim tria beneficiorum genera impetrari possunt in sacrificio: ad horum ergo trium impetrationem offerri sacrificium potest, quatenus est ex opere operato in persona Christi impetratorium; immo hic fructus impetratorius applicari potest vel debet ei, pro quo sacrum offertur, si ejus capax sit. Dixi: potest vel debet, quia, si sacrificium offeratur pro aliquo ex debito, tunc totus hic fructus iste illi debetur consequenterque illi applicari debet, dummodo, ut dixi, sit capax ejus; in mortuos enim impetratorius sacrificii non cadit etc. Atque hæc est classis illa effectuum sacrificii, quæ illi debet applicari, cui sacrum debetur, ut alias dictum est: quod etiam dictum volo de quarta classe nempe de fructu satisfactorio ex persona Christi opere operato proveniente. Si vero offeratur ex libertate sacrificium, tum hic fructus triplicium beneficiorum potest dividi in varios, ita ut v. g. sacerdos aliis applicet impetrationem beneficiorum temporalium, aliis spiritualium gratiarum, aliis veniarum etc: potest etiam uni ac eidem applicari totus pro arbitrio.

In tertia classe poni possent hæc: 1. fructus impetratorius ex persona sa-

cerdotis proveniens ex opere operato; 2. idem fructus ex eadem persona, sed ex opere operantis: et quidem etiam triplex, ut in præcedente classe; qui triplex fructus potest quidem a sacerdote applicari etiam ei, cui alias sacrificium debetur, quod offertur ab eo ex debito illo, non tamen tenetur hoc facere quia, ut alias est explicatum, hic fructus sicut et is, qui in quinta classe ponetur, non est debitus ei, cui alias sacrum deberi supponitur. Et in hoc etiam hæc fructuum classis differt a præcedente; vide supra.

In quarta classe poni possent hæc: fructus satisfactorius ex persona Christi, et quidem 1. operis operati; 2. operis operantis, idque sive pro hujus, sive pro alterius vitæ pœnis; de cujus fructus applicatione hoc sentiendum est, quod supra dixi de fructu impetratorio in secunda classe posito; de hoc quoque sciendum est, quod hic solus debeatur animæ defuncti, quando alicui Missa debetur;[1]) præcedentium enim fructuum capax non est defunctus: sequens vero quintus non debetur illi, etsi possit cum utilitate ejus applicari illi, cujus ratio supra est allata, nunc non est, cur repetatur.

[1]) Quoad debitum tamen ex stipendio accepto vide notam supra pag. 217.

In quinta classe poni possent hæc: fructus satisfactorius ex persona sacerdotis 1. partim operis operati; 2. partim operis operantis; tam pro hujus, quam pro alterius vitæ pœnis. Hic fructus non cadit vi sua sub debitum (nisi quis se expresse obliget alicui etiam quoad hunc applicandum); unde potest applicari semper pro arbitrio sacerdotis, tam sibi, quam alteri vivo, mortuo, capaci tamen: sicut et prior, si non sit debitus, quin etiam potest vivo pars ejus applicari, mortuo pars: illi pro pœnis hujus, isti pro pœnis alterius vitæ.

In sexta classe possent poni hæc: 1. applicatio indulgentiæ ex privilegio altaris vel personali, item alicujus numismatis; 2. applicatio meriti, quod et maximum et multiplex est et nulli applicari potest a sacerdote præterquam sibi soli; 3. applicatio orationum seu collectarum, si alias ex vi sacri non sint alicui debitæ earumque fructus; 4. applicatio communionis seu sumptionis Eucharistiæ, nisi quis putet eam esse de essentia[1]) sacrificii; tunc enim de ea aliter esset statuendum: deberetur enim ei, cui et sacrificium deberetur, immo ei censeretur applicata, cui sacrificium, quia ipsa esset sacrificium, ut ex opinione Scoti etc.;

[1]) Vide notam supra pag. 269.

5. applicatio fructus sive impetratorii sive satisfactorii ad sacerdotem offerentem pertinentis et redundantis semper in omni sacro etiam debito atque applicato alicui; numquam enim sacerdos digne offerens, pro quocumque tandem offerat, offert absque fructu prædicto, cujus fructus applicationem sacerdos semper sibi ipsi facere potest atque debet; 6. applicatio fructus omnis, si quis ex sacro redundet et aut irritus sit, eo quod sit incapaci applicatus, aut quod non sit applicatus per incuriam, oblivionem etc.; expedit enim, ut sacerdos talem fructum omnem in omnem eventum applicet semper vel sibi vel alicui: posset tamen facillime sibi ipsi semel pro semper.

Juxta istas igitur sex classes fructuum potest a sacerdote proportionaliter servatisque servandis applicatio eorum dividi varie absque injustitia ulla, magno cum fructu tam suo quam aliorum, quo plerique sacerdotes et ipsi privantur et alios privant per meram istorum vel inscitiam vel applicandi negligentiam.

Posset vero addi septima classis, non tam fructuum ex sacrificio dimanantium, quam piæ observationis in Missæ celebratione, et est hæc: ut sacerdos semper quodvis sacrum suum intendat offerre omniaque sacro connexa facere affectu

Christi Domini et pretiosissimæ Parentis Mariæ et aliquorum Sanctorum, etiam individuorum, ita ut cuilibet sacro alium aliumque ordinem Sanctorum adhibeat, quorum affectu (præter Christum et B. V. M.) sacrum celebret et meritis sese ornet etc. Hæc enim pietas mirifice et Deum colit et Sanctos honorat, et sacerdotem oblativum offerentemque ornat atque acceptabilem et gratum divinis oculis facit.

Caput 16.

Exponitur alius modus distribuendi fructum sacrificii Missæ eumque applicandi.

Poterit fortasse alicui modus præcedens applicandi fructum sacrificii parum commodus videri, eo quod vel minutus vel laboriosus sit; eam ob rem in gratiam sacerdotum appono hoc in capite alium, qui forsitan utroque illo carebit incommodo, quod in præcedenti inesse videri poterat; nihilominus non erit ita exactus et varie distributus, prout ille prior fuit: quamquam ex illo ad hunc præsentem poterunt derivari ea, quæ cui deesse hic videbuntur.

Hic igitur modus posterior talis erit, ut in eo omnes fructus tam impetratorii quam satisfactorii, tam ex persona Chri-

sti quam ministri, tam operis operati quam operantis, uni dumtaxat eidemque rei aut personæ, viventi vel non viventi, applicentur. Adeo ut, etsi aliquando offeratur sacrum pro causa, re, persona incapace alicujus applicationis et fructus, tamen ille ita aliis aliisque personis applicetur, ut tamen hæc ipsa applicatio redundet in illius prioris incapacis utilitatem. Id exemplo clarius elucescet: afferam autem exemplum in iis rebus, pro quibus Societatis nostræ sacerdotes solent vel debent sacra sua offerre. Itaque solent Societatis sacerdotes hebdomadis singulis sacrum offerre ad intentionem P. N. Generalis, quod facere possunt hoc vel simili modo. Sacrificium, quatenus est adoratorium, ita potest ad intentionem Patris Nostri offerri, ut Deus sacrificio pro Patre nostro et ad ejus intentionem adoretur. Quatenus est gratiarum actorium, ita potest offerri, ut gratiæ Deo agantur nomine Patris Nostri pro omnibus gratiis atque beneficiis illi a Deo præstitis, et præcipue pro his, pro quibus ipse Pater noster agere gratias Deo vel intendit vel debet. Quatenus est satisfactorium, offerri potest vel pro ipso Patre nostro, vel pro eo, cui ille applicavit: vel si ille applicare neglexit pro aliquo alio, ad arbitrium ipsius sacerdotis. Quatenus est im-

petratorium offerri potest ad impetranda ea, quæ Pater noster vel sibi, vel aliis hodiernæ diei sacrificiorum applicatione impetrare intendit, et quæ ille a Deo congrue postulat in genere et specie. Aliud exemplum sit in negotio menstruo, seu pro quo singulis mensibus sacerdotes nostri sacrum dicere debent, scilicet pro regionibus septemtrionalibus et hæreticorum reductione. Sacrum ergo, quatenus est adoratorium, offerri potest Deo, ut ille nomine omnium hæreticorum et schismaticorum adoretur cultu latriæ atque adorationis etc., quem cultum illi Deo negant vel improbe impendunt etc. Quatenus est gratiarum actorium, offerri potest in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo in hæreticos et schismaticos effusis. Quatenus est impetratorium, offerri potest ad impetranda auxilia gratiæ ad resipiscendum hæreticis, ad eadem auxilia operariis in eorum conversione laborantibus, ad impetranda media a Deo efficacia eorumque conversioni idonea, ut sunt zelus principum, vigilantia prælatorum etc ad repressionem virium hæreticarum impetranda. Quatenus est satisfactorium, offerri potest pro iis, qui inter hæreticos laborando mortui sunt vel qui inibi laborant quive conversionem eorum procurant sumptu, auctoritate, favore.

Ad hanc normam fieri possunt sacrificii applicationes ad reliquas intentiones Societatis sacerdotibus præscriptas etc. Qui modus est quidem priore illo minus laboriosus, attamen neque est debitus, neque caret suo etiam labore, neque denique ad ita multos extenditur per eum fructus sacrificii, sicut per priorem illum modum. Liberum tamen erit unicuique sequi, quem volet ex his, aut etiam neutrum, sed suum proprium; prout majore cum gustu suo se facere posse judicabit.

Praxis
applicandi effectus sacrificii.

Offero tibi, Domine, Deus meus, tam hoc, quam omne aliud sanctissimum sacrificium, quod nomini tuo in Ecclesia tua sancta rite offertur et ego nunc offero, ad laudem tuam et gloriam Christi, ad invocationem Sanctorum, ad auxilium Ecclesiæ tuæ, ad sublevationem necessitatum nostrarum et nominatim mearum spiritualium, corporalium, officialium. Memento, dulcissime Deus, tam vivorum quam mortuorum fidelium, eorum præsertim, pro quibus orare soleo, debeo, intendo, qui pro me orant, pro quibus tu a me orari vis. Memento omnium isto-

rum, mi Deus, et sacrificii hujus valorem omnibus juxta gustum voluntatis tuæ et debitum voluntatis meæ dispensa. Da tibi gloriam et honorem et gratiarum actionem, Sanctis tuis laudem et exaltationem, Ecclesiæ vivorum per omnes gradus et status gratiam et auxilium, animabus purgatorii solatium et refrigerium, mihi omne, cujus ex hoc sacrificio (absque ullius damno et impedimento) capax sum et quovis modo derivari super me potest, meritum, gratiæ actualis efficacis et congruæ copiam et in sanctitate finalem perseverantiam: juxta proportionem operis operati, operis operantis, juxta impetratoriæ et satisfactoriæ efficacitatis latitudinem, juxta dispositionis meæ tam habitualis quam actualis, quam ex gratia tua mihi largiri tu dignaris, capacitatem. Tibi gloria et gratiarum actio et plenissima æternaque subjectio in sæcula.

Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ps 109, 4.



APPENDIX II.

APHORISMI EUCHARISTICI

SIVE PLÆ CELEBRATIONIS MONITA

AUCTORE

JACOBO MERLO HORSTIO.

Proœmium.

Aphorismos hic damus, pie Lector, non Hippocratis, medicorum principis, sed medici longe dignioris, Christi, inquam, vere archiatri, qui solo nutu omnes curat languores, qui corpus et animam uno momento sanare potest, immo qui ipsum Corpus et Sanguinem suum nobis in remedium adversus morbos et mortem animæ dedit.

En Aphorismos cælestis medici: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis*

vitam in vobis; et: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum, etc.* O vere præstans et efficax remedium, sed si rite usurpatum fuerit. Nempe et ipsa medicorum remedia suas habent methodos, doses, leges et utêndi modos, quibus neglectis ipsa facile in venenum remedia transeunt. Idem spectant hi Aphorismi nostri, ne, unde vita peti debuit, mors hauriatur. Vis videre, quam perniciosa hic sit incuria? Ecce Corinthios hinc damnum expertos. *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi.* Nempe animæ mala sæpe redundant in corpus, et cum illa delinquit, hoc in pœnæ consortium trahitur.

Ergo opportune adest fidelis medicus et utili Aphorismo præscribit remedium, ne malum serpat ulterius. *Probet ergo,* inquit, *seipsum homo, et sic de pane illo edat,* etc; et: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Nimirum hoc pharmacum de se præstantissimum mors est malis, vita bonis; adeo paris sumptionis dispar est exitus. Itaque hujus tam nobilis pharmaci sumendi regulas per Aphorismos ex probatissimis medicis (rerum spiritualium magistris) extractos paucis tradere visum est.

Caput 1.

Dignitas sacerdotii et sacrificii.

1. Nullus efficacior stimulus aut calcar validius ad incitandum sacerdotis animum, ut parem se dignitati suæ gerat ac sanctissimo muneri suo sancta conversatione respondeat, quam ipsa dignitatis munerisque notitia.

2. Itaque sæpius ac serio gratiam vocationis, status sui excellentiam et officii, quod gerit, dignitatem consideret eamque in dies magis magisque perspectam habere studeat. Felix erit, si seipsum noverit.

Sic videmus viros generosos, cum ad novum dignitatis gradum subvecti fuerint, novos induere mores, nempe dignitati et officio pares, ne contemptui pateant. Tantum valet apud eos cura nominis: quid apud sacerdotes non valebit cura numinis, immo salutis?

Nimis indigna et perniciosa est illa filiorum Heli et, qui eos sectantur, ignorantia, nescire dominum et officium sacerdotum. Hinc ille despectus dignitatis sacerdotalis et abjectio tam sancti ordinis, quia eum nec ipsi, qui gerunt, recte æstimare norunt. Sed audi ipsum Deum justum judicem. *Quicumque glorificabit*

me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.[1]) — *Propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles in omnibus populis, sicut non servastis vias meas.*[2])

Agimus hic non de scientia speculativa, sed practica. Apud christianos, præcipue vero sacerdotes, non scire, sed facere laudem habet, nec hoc quidem, nisi verbis suffragentur adverbia. Neque enim sat est facere, quæ officii sunt sacerdotalis, nisi eadem bene, religiose et perfecte facias.

Inprimis ergo illustria quædam Ss. Patrum dicta proferemus in medium, quæ si attentius considerare voluerit, quisquis sacerdotio fungitur, haud dubie obstupescet immensam Dei bonitatem et sui ipsius extremam vilitatem agnoscens cogetur attonitus clamare, quid est homo, quod sic magnificas eum! O felices nimium, sua si bona norint, sacerdotes!

3. „Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum cælestium classem ordinemque referendum est. — Etenim iis, qui terram incolunt atque in ea versantur, commissum est, ut ea, quæ in cælis sunt, dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus O. M.

[1]) 1 Rg 2, 30. [2]) Mal. 2, 9.

nec Angelis nec Archangelis datam esse volui. — Si quis consideret, quantum id sit mysterium . . . . is probe intelliget, quanto honore quantaque dignitate sacerdotes Spiritus Sancti gratia dignata fuerit. – Nam dum conspicis Dominum immolatum et illic constitutum sacerdotem, sacrificio incumbentem ac preces fundentem, tum vero turbam circumfusam pretiosoillo sanguine intingi ac rubefieri, etiame te inter mortales versari atque in terra consistere censes? an non potius e vestigio in cælos transferris? An non carnem cogitationem omnem abjiciens, nudonimo, mente pura circumspicis, quæ in cœlo sunt? O miraculum, o Dei benignitem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus contractatur ac se ipsum tradit volentis ipsum excipere ac complecti."[1])

Sane blandire tibi de dignitate tua, mi sacerdos, onus suum habet hic honos, et gnde nimis. O quam vereri debemus nos, qui plus ceteris in hoc mundo accense cernimur, gravius inde ab auctore mundi judicemur! certe cum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum et cui multum datum est, multum quærur ab eo.

[1]) Chrysost. de sacerd. lib. 3. c. 4.

4. „Idcirco necesse est, sacerdotem sic esse purum, ac si in cælis ipsis collocatus inter cælestes illas virtutes medius staret; terribilia namque atque horifica sunt, quæ administrat.“ [1])

„Audiamus ergo, et sacerdotes e subditi, quali nos esca dignatus sit; audiamus et horreamus. Sanctis carnibus suis nos dedit impleri, semetipsum appsuit immolatum; quænam igitur erit nob excusatio, cum, talibus pasti, talia pecemus, cum lupi fiamus agnum comlentes? — Quo igitur crystallo non oprtet esse puriorem animum, tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendiorem manum, quæ carnem hanc didit, os, quod igne spirituali repletur, lingam, quæ tremendo nimis sanguine rubeit? — Cogita, quali sis insignitus hore, quali mensa fruaris. Quod Angeli ventes horrescunt neque libere auderintueri propter emicantem inde splendem, hoc nos pascimur, huic nos unimur. uis loquetur potentias Domini, auditas iet omnes laudes ejus?“ [2])

5. „O veneranda sacerdotum digas, in quorum manibus, velut in utercirginis, filius Dei incarnatur. Uno em-

[1]) S. Chrysost. de sacerd. lib. 3. c. 3. [2]) S. Cbst. homil. 60 ad pop. Eadem habet hom. 83 in M

que momento idem Deus, qui præsidet in cælis, in manibus sacerdotis est in sacramento altaris. — Quod datum non est Angelis, concessum est homini. Sacerdos enim ineffabile hoc conficit mysterium, et Angeli conficienti quasi famuli assistunt. — Quid mirum ergo, si super hoc tam insigni privilegio stupet cælum, miratur terra, veretur homo, horret infernus, contremiscit diabolus et veneratur quam plurimum angelica celsitudo.“ [1])

6. „O quam magnum et honorabile est officium sacerdotum, quibus datum est, Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere et ceteris ministrare. — Grande mysterium et magna dignitas sacerdotum, quibus datum est, quod Angelis non est concessum. Soli namque sacerdotes in ecclesia rite ordinati potestatem habent consecrandi corpus Christi.“ [2])

S. Franciscum dicere solitum ajunt, si quem Angelorum aut Beatorum haberet obvium et simul sacerdotem, se prius osculaturum sacerdotis dexteram, deinde cælitem illum veneraturum, quod major reverentia deberetur ei, cujus manus

[1]) August. alleg. apud Molina Instr. sacerd. tract. 1. c. 5. [2]) Thom. Kemp. lib. 4. c. 5.

sacrum Christi corpus ministraret. *(Ita Ribad. in vita.)*

„Attende igitur et vide, quale ministerium tibi traditum est per impositionem manus Episcopi. Ecce sacerdos factus es et ad celebrandum consecratus; vide nunc, ut fideliter et devote in suo tempore sacrificium Deo offeras et teipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleviasti onus tuum, sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinæ et ad majorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus et aliis bonæ vitæ exemplum præbere. Ejus conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in cælo, aut cum perfectis viris in terra.“ [1])

7. „Magna prorsus, et admiranda est sacerdotum dignitas, maxima illis est collata potestas; sua namque prolatione et ad eorum pene libitum corpus Christi de panis transsubstantiatur materia, descendit de cælo in carne Verbum et altaris verissime reperitur in mensa. — Hoc illis prærogatum est gratiæ, quod numquam datum est Angelis; assistunt Deo, illum contrectant manibus, tribuunt populis in seque suscipiunt. — Verum quoniam An-

[1]) Thom. Kemp. 4, 5.

gelorum sive adstantium, sive ministrantium vice funguntur, potius angelicam quam humanam debent conversationem habere. — Accedat igitur sacerdos ad altaris tribunal ut Christus, assistat ut Angelus, ministret ut sanctus, populorum offerat vota ut Pontifex, interpellet pro pace ut mediator, pro se autem exoret ut homo. Huic expedit, ut divinæ laudis sit amator, religiosus in se, humilis corde et erga proximorum errata compassione compunctus.“ [1])

Caput 2.

Præparatio Missæ præmittenda.

1. Immensa hujus sacramenti dignitas et infinita Domini, quem hic vere tractamus et recipimus, majestas omnino requirit, ut non nisi singulari cura ac præparatione res tam sublimis peragatur. Nam hoc ratio dictat, etiam in ipsis quotidianis negotiis. Rebus nimirum arduis, magnis et excellentibus convenienter tractandis peculiaris debetur cura et sollicitudo studiumque longe diversum ab eo, quod impenditur rebus vilioribus et vulgaribus. Jam vero quid excellentius aut dignius in terris homo moliri potest,

[1]) Laurent. Justin. serm. de Euchar.

quam ipsum cæli terræque Dominum ore manibusque tractare?

Palatium regis Assueri nemo humili veste indutus ingredi debebat, ne vilis habitus videretur contemptus majestatis. Immo in regis conspectum non admittebantur feminæ, nisi prius per annum integrum diligenter excultæ. — Pueri Hebræi regi Babylonio sistendi, sub cura præfecti certo temporis spatio eruditi, excoli et cibis lectissimis enutriri debebant, ut habiles, eruditi et decori facie in palatio coram rege starent.

Hæc humanis fiebant oculis, quid par erit fieri divinis? Nos, sistendi Deo, minoris ejus majestatem faciemus?

Mirum dictu, quot olim ritibus, quibus cæremoniis expiari et præparari debuerint sacerdotes levitici, antequam ad typica illa sacrificia, hujus nostri umbras tantum et figuras, accederent.

Mirum quoque, quam severe vel minimam in his incuriam, errorem vel negligentiam Deus castigaverit. Lege Leviticum, Numeros etc et mirabor vehementer, si non senseris hinc admoveri tibi calcar et stimulum, ut majori deinceps cura, religione et reverentia tractes sacra isthæc mysteria, hoc identidem tecum reputans, si tanta religio et observantia talis in umbra, quanta erit in veritate? —

Opus enim grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.[1]) Ita David; nam postquam immensam auri, argenti, gemmarum, marmorum lignorumque vim in fabricam templi contulisset, omnis ille rerum apparatus vilis et exiguus religiosi regis animo visus est: et is tamen solum parabatur templo, in quo nonnisi arca cum manna asservanda aliaque in nostri sacramenti figuram dumtaxat exercenda erant. Quomodo ergo paranda erit domus illa, quæ non arcam, sed ipsum arcæ Dominum exceptura est?

2. „Hæc est causa (quod tremens dico), quare multi quotidie celebramus et post multos sacerdotii annos modica ex hoc incruento sacrificio et mirifico sacramento dona cælestia recipimus, quia parum parati vita bona et consideratione sancta ad ipsum manibus offerendum et ore sumendum accedimus.“[2])

Ex agno paschali crudum quid olim comedi vetabatur. *Ex 12.* — Typicum hoc erat; omnia enim illis in figura contingebant. Nobis vero rem ipsam et veritatem possidentibus commendatur, ne crudum sumamus Agnum in hoc sacramento nobis exhibitum; ne præpostere et præ-

[1]) 1. Par 29. 1. [2]) Alvarez de Paz de vita relig. inst. lib. 1. cap. 8.

cipitanter involemus in hunc cibum, omni quidem saporis suavitate plenum, sed insipidum, si crudus sumatur. Coqui ille primum debet et rite præparari. Sed quo igne? Illo nimirum, qui in meditatione exardescit. Expende igitur, quis sit ille cibus, quibus detur, quo fine et quomodo sumendus, ut in nutrimentum animæ convertatur.

3. „Officium ergo boni sacerdotis debet esse: ipsi sacro Missæ officio præmittere aliquam meditationem circa divina mysteria variisque considerationibus sese exercere, quæ excitent varios cordis affectus, amoris, reverentiæ, timoris, humilitatis, fiduciæ et similes; ac denique concludere petitionibus et colloquiis cum Deo Domino nostro, ut impetret quod optat, possitque digne ad sacrum altare accedere.“ [1])

Exercitium corporis, cibi sumptioni præmissum, valde commendant medici ut valetudini utile. Hinc enim acuitur calor naturalis, qui alias fere torpet et languet, excitatur orexis, præparatur corpus ad salubrem et utilem comestionem, ventriculus cibum avidius excipit, arctius complectitur, felicius concoquit et distribuit.

[1]) Lud. de Ponte, de Perf. tract. 2. c. 7.

Hinc denique proba nutritio et bonus totius corporis habitus consequitur. Idem usu venit in hoc cælesti animæ cibo. Hæc si primum diligenter congruis exercitiis præparetur, utilius et avidius illum sumet. Exercitia erunt piæ et attentæ meditationes, præsertim de passione Domini, de immenso Dei in nos amore, beneficiis, gratia vocationis etc, exercitia fidei, spei, caritatis, humilitatis, amoris, gratitudinis etc.

4. „Ex modo accedendi ad sacram Communionem et Missam pendet omnis ejus fructus et utilitas. Qualis enim nostra erit dispositio sive præparatio, talis erit et gratia, quam recipiemus.“ [1]) Nam causæ supernaturales, qualia sunt sacramenta nostra, causarum naturalium modum imitantur. Unde fit, ut pro varia subjecti dispositione varios effectus producant; ita ut unum idemque sacramentum mors sit malis, vita bonis, sicut idem ignis et ceram mollit et lutum indurat, aridum lignum facillime corripit, humidum vero difficulter accendit. Itaque sicut is e fonte publico plus aufert aquæ, qui vas affert capacius, ita pro fidei, devotionis et præparationis modulo homines plus minusve utilitatis ex hoc sacramento

[1]) Molina Instr. sacerd. tract. 4. c. 1. § 2.

(fonte, immo oceano gratiarum) hauriunt. Dilatemus ergo os seu vas cordis nostri, et Deus implebit illud et torrente voluptatis hic absconditæ potabit nos.

5. „Modus præparandi nimis imperfectus et omnis internæ consolationis expers est, non nisi vulgares quasdam seu consuetas precandi formulas conceptis verbis expressas ante vel post Missam seu Communionem usurpare.“ [1]) His tamen multi acquiescere videntur, rati tunc se præclare præparatos, si, quæ vocant præparamenta, recitaverint. Non reprehendimus, maxime si cum gustu et animi sensu dicantur. Sed habent ejusmodi orationes quantumvis elegantes hoc incommodi, ut per dies aliquot frequentatæ gustum perdant et degenerent in fastidium.

6. „Justum est, ut instante hora celebrationis conetur sacerdos exuere cogitationes omnes a futura actione alienas et omnes de terrenis rebus curas ad fores seu valvas templi deponere, ut sola anima et intellectu comitante ad altare procedat.“ [2])

Moyses in monte cum Deo (seu Angelo Dei vices gerente) locuturus jussus est solus ascendere nec homo alius nec

---

[1]) Molina Instr. sacerd. tr. 6. c. 4. § 2. [2]) Idem tract. 6. c. 3.

pecus montem debuit contingere, quin et montem densa et obscura nubes obtexit. Visa quoque fulgura, audita tonitrua etc, ut Moyses ab omnium oculis absconditus uni Deo intenderet et populus horrore concussus divina mysteria venerari disceret. *Ex 19.* — In Levitico sacerdos oblaturus incensum solus sanctuarium ingredi jubetur, ne ulla esset distractionis occasio. *Lv 16.* — Abraham Dei jussu filium sacrificaturus alium noluit præsentem esse; et ad montis pedem servis suis præcepit: *Exspectate hic cum asino: ego et puer etc. Gn 22.*

At quanto æquius, sacerdotes novi Testamenti ab omnibus aliis abstractos animum collectum unique Deo devotum tantis mysteriis sistere? Nec enim cum Abraham accedimus oblaturi hominem aut pecus, sed filium Dei naturalem, verum Deum ac hominem. Nec loquimur cum Angelo instar Moysis, sed cum ipso Deo; quin et eumdem tangimus manibus et in corpus animumque nostrum recipimus. Denique non adolemus in sanctuario fumum incensi, sed verum Christi corpus et sanguinem offerimus, qua oblatione nulla fuit umquam dignior Deo nec futura est usque ad consummationem sæculi.

Sed audiamus mellifluum Bernardum nobis exemplo præeuntem. „Intentiones,

ait, cogitationes, voluntates, affectiones et omnia interiora mea, venite, ascendamus ad montem, ubi Dominus videt et videtur; curæ, sollicitudines, anxietates, pœnæ, servitutes, exspectate me hic cum asino, corpore isto; donec ego cum puero, ratione scilicet et intelligentia usque illuc properantes, postquam adoraverimus, revertamur ad vos. Revertemur enim, et heu quam cito revertemur!" *Lib. de amore Dei.*

7. „Fac, quod in te est, et diligenter facito, non ex consuetudine, non ex necessitate; sed cum timore et reverentia et affectu accipe corpus dilecti Domini Dei tui dignantis ad te venire. — Quoties hoc mysterium recolis et Christi corpus accipis, toties tuæ redemptionis opus agis et omnium meritorum Christi particeps efficeris. — Ideo nova semper mentis renovatione ad hoc disponere te debes et magnum salutis mysterium attenta consideratione pensare. — Ita magnum, novum et jucundum tibi videri debet, cum celebras aut Missam audis aut communicas, ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens homo esset factus, aut in Cruce pro salute hominum pateretur et moreretur." [1])

[1]) Thom. Kemp. lib. 4, c. 2.

8. Nemo devotionem, quam cupit, in altari inveniet, si non eam ante per sedulam præparationem quæsierit. Ita Joannes Trithemius, abbas Spanheimensis, inquiens: „Raro devotio in altari conceditur, si mens ad fervorem non antea præparetur.“ [1]) Sic in naturalibus forma in materiam vel subjectum introducenda prævias aliquas dispositiones prærequirit.

9. Male devotioni suæ et attentioni sub sacrificio consultum reperiet, qui immediate a studiis, negotiis, colloquiis et curis externis ad Missam sese contulerit; quantumvis jam ante præparationem præmiserit.

Facillime turbatur delicatum illud mentis sabbatum et quies illa, qua tam sublimis actio fieri amat. „Si in omni loco et in omni actione et occupatione externa tam esses intimus, liber et tui ipsius potens, ut omnia essent sub te, at tu non sub eis; ut esses Dominus actionum tuarum et rector, non servus nec emptitius; ut transitoria sinistro oculo intuereris et dextro cælestia,“ [2]) etc: tunc, inquam, non admodum videretur incongruum, ab externis negotiis ad sacrificium transire.

[1]) Lib. de triplici regione claustralium. [2]) Thom. Kemp. lib. 3, c. 38.

Sed paucorum illa felicitas et tam cauta sui custodia, ut externa tractent sine aliqua distractione mentis. Ita, quamvis matutino tempore præparatio facta sit, melius tamen tibi consules, si jamjam accessurus ad altare, paucis denuo te recolligas et animum adhuc ex præparatione calentem ad altare afferas. Scintilla aliqua devotionis per meditationem et pia exercitia ægre tandem obtinetur; sed levi momento facillime evanescit, nisi sollicite custodita fuerit. Sicut calor mox exspirat, nisi os fornacis diligenter obstruas. Ex his jam collige, quid de illis sentiendum, qui imparati et illotis, ut dici solet, manibus in tam sacra et horrenda mysteria se ingerere audent; qui ex mediis negotiorum turbis, ab ipsis colloquiis, ne dicam fabulis et nugis, ad altare properant et velut ex cœno in cælum fœtentes irrumpunt. Dixeris nescire eos, quid facturi sint, et nihil ducere levius ac facilius quam Deo sacrificium immolare, cum nihil majus aut sublimius ab homine mortali in terris agi possit. Unde S. Bonaventura sic illud agi jubet, quasi nihil umquam aliud in vita agendum esset.[1]) Nonne omnia tempus habent? et cur negotiorum maximo tempus subtrahitur?

[1]) Opus de inst. sacerd. ad Miss.

Vide, quot in negotia, colloquia, curam corporis, per somnum, cibum, recreationem etc horæ nobis abeant; nec in illis ulli fere gravis est mora. In hac divinissima actione, cui omne tempus et tota vita parum erat, piget moræ. Adeo in rebus solum gravissimis parci sumus temporis, at in ludicris et vanis nimium prodigi.

Quos proinde merito graviter perstringit Confalonerius S. J.[1]) vocans gravem illusionem, cum quis ex negotio aut studio se confert in sacristiam, facturus illico sacrum, nulla prorsus aut brevissima et languente facta præparatione, cum alioqui commode se potuisset colligere. Mirum est, ait, quot muscæ et harpyæ, non ad polluendum sacrificium, sed ad inquinandam hujus hominis mentem et distrahendam involent et incursent.

Hi sunt, qui breviter Missam expediunt, aut certe ex evagatione gravia persæpe errata admittunt. Hi sunt, qui graves non raro sentiunt conscientiæ morsus, num satisfecerint ministerio et ea, quæ sunt substantialia in toto mysterio, expleverint. Hi sunt, qui sacrificio peracto, quasi mucrones sentiant et lancearum cuspides toto corpore, ita orationem et

[1]) De celebr. Missæ, cap. 1 et 2.

gratiarum actionem abrumpunt, non modo ad studia aut negotia revertentes, verum etiam ad nugas. Hi sunt, qui faciunt admirationem populis vulgoque facile obloquenti, quomodo homines tremenda conficientes mysteria pene cotidie pastique Deo ipso ita tamen præcipites agantur perturbationibus animi adeoque moribus sint corrupti.

Monuit propterea Spiritus Sanctus per Salomonem: *Acceptus est regi minister intelligens* (hoc est accuratus, qui suum munus obit diligenter; qui ea, quæ accidunt actioni ac muneri, considerat et explet) et sequitur: *iracundiam ejus inutilis sustinebit* (inutilem dixit negligentem et infidelem).[1]) Et adhuc gravius et enucleatius per Jeremiam: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter,*[2]) (ut legunt Septuaginta interpretes, et eam lectionem fere sequuntur sancti Patres, nam nostra Vulgata habet: *maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter,* sed idem sensus est).

Jam, ut exponit Dionysius Carthusianus,[3]) vulgatam sequens lectionem, „ille fraudulenter facit opus Dei, qui Deo, quod ei debetur, non exhibet, qui divinæ

[1]) Pr 14, 35. [2]) Jer 48, 10. [3]) Dion. Carth. art. 68 in moral.

majestatis honorationi debitum subtrahit, qui in cultu divino fraudem committit; et huic maledictioni subjacent, qui opus Dei faciunt negligenter, irreverenter, sine timore, sine cura, sine custodia, sine affectu."

Porro duplex præparatio assignari solet apud scriptores asceticos: una remota, altera propinqua. Ad remotam pertinent: 1. Continuum studium puræ et sanctæ vitæ. 2. Sublimis æstimatio et sensus de hoc altissimo mysterio per exercitium vivæ fidei. Nam quod magni æstimatur, reverentius quoque digniusque tractatur. 3. Frequens ad Deum oratio et devota aspiratio pro gratia tantis mysteriis debite tractandis necessaria.

Ad propinquam præparationem spectant ista: 1. Seria et accurata discussio conscientiæ. 2. Directio intentionis, quæ utique non in finem aliquem terrenum, sed altiorem, id est Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, proximi bonum et sui ipsius cum Deo unionem referri debet. 3. Excitatio desiderii et devotionis, ut cum affectu gustuque spiritus res tam sacra peragatur. 4. Exercitium profundissimæ humilitatis et reverentiæ ex agnitione propriæ indignitatis et immensæ Dei majestatis.

10. Post omnem denique præparationem et diligentiam adhibitam agnosce in-

sufficientiam tuam nec quidquam te tanta majestate aut hujus sacramenti dignitate dignum præstitisse puta. Tanto melius semper præparatus eris, quanto melius et humilius præparationis tuæ defectum tuamque imbecillitatem et inopiam agnoveris.

„Scito non posse te satisfacere huic præparationi ex merito tuæ actionis, etiam si per integrum annum te præpares et nihil aliud in mente haberes.“ [1])

Exaggerat rem Dionysius Carthusianus. „Si sapienter attendas, o sacerdos, quanta sit excellentia, sanctitas et dignitas hujus sacramenti, confestim fateberis, te non posse cor tuum sufficienter ad ejus susceptionem disponere neque pro suscepta communione satis posse regratiari, etiam si mille vixeris annis et die ac nocte sine intermissione totis viribus te præpares ad celebrandum et gratias agas pro susceptione ac collatione muneris tanti. Quid itaque restat, nisi ut omne, quod tibi in his possibile est, facias et tamen nihil condignum te fecisse recognoscas per respectum ad incomparabilem excellentiam sacramenti.“ [2])

Fatere igitur etiam tunc, cum omnia feceris, te servum inutilem esse et minus

[1]) Thom. Kemp. l. 4, c. 12. [2]) Dionysius Carth. de sacr. alt. art. 15.

fecisse, quam debueris. Ecce præeuntem habes Salomonem. Cum templum illud, quo nullum augustius ac splendidius vidit orbis, tantis impensis, tot operis, tot annis condidisset jamque absolutum innumeris hostiis et victimis ingenti solemnitate dedicaret: *Ergone,* inquit, *credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? si cælum et cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi?*[1])

Caput 3.

Puritas et sanctitas ad dignum hujus sacramenti usum requisita.

1. *Homo, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo nec accedet ad ministerium ejus.*[2]) — *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.*[3]) — *Sacerdotes sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus; incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt et ideo sancti erunt.*[4])

Quis non obstupescat hæc audiens, seu sacerdos, seu laicus, ita secum ratiocinans: Tam severe sancti esse jubentur,

[1]) 2 Par c. 6. [2]) Lv 21. [3]) Ex 19. [4]) Lv 21.

qui non nisi umbram et figuram sanctitatis gerebant; quid nos, quibus datum est ipsam tractare rem et veritatem? immo ipsum Sanctum Sanctorum, a quo omnis sanctificatio nostra? Quæ hic proportio, quæ comparatio? nempe quæ finiti ad infinitum. Et nonne æquum erit, ut pro discrimine dignitatis sit disparitas sanctitatis?

Dubitabis ergo forte, qualis sit illa sanctitas toties et tam serio olim imperata. Origenes *(in c. 20. Levit.)* rem definiens, ad Græci nominis etymologiam recurrit. Nam Sanctus, Græce *ἅγιος,* (ex *a* part. privat. et *γῆ*) dicitur a negatione *τῆς γῆς,* quasi dicas hominem sine terra vel expertem terræ; hoc est, qui a rebus terrenis studio et amore sejunctus cælestia tantum sectatur. Quemadmodum, ait Origenes, quæ Deo sanctificata sunt, ut sacra vasa et vestimenta, a profanis usibus secernuntur; ita quos sanctos esse convenit, terrenis curis et negotiis implicari non oportet, ut nempe quæ sursum sunt quærant, non quæ super terram; ut peregrinatio eorum sit in terris, sed conversatio sit in cælis.

Sed esto fuerit illa sanctitas nonnisi exterior quædam et legalis observantia sive munditia corpus potius quam animam spectans: nobis certe typus et figura

fuit sanctitatis internæ et inhærentis ad legitimum Ss. Sacramenti hujus usum requisitæ. Tibi vero inprimis, o sacerdos, intimam animi sanctimoniam præcipi ne dubites, qui animo præcipue puro et sancto, id est, terrenæ contagionis experte, sacris operari debes; quippe qui ipsum Sanctum Sanctorum et Agnum sine macula tractas. Hujusce vero teipsum cotidie commonefacis, dum præparans te sacrificio dicis: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.*[1])

Sed forte periculosum censes, sese sanctum asserere coram Deo, in cujus conspectu neque cæli sunt mundi. Ergo vel hoc saltem sensu illud securus dicito: Sanctus sum, qui ab infimis et terrenis segregatus, sublimibus et cælestibus rebus singulariter applicitus. Assumptus nempe, licet egenus, e pulvere terræ et fæce populi in ministerium Dei, ut sedeam cum principibus, angelicum, immo excellentius sortitus officium, idque tui solius, o Deus, beneplacito et dono gratuito; sanctus, inquam, cum statu et munere sacerdotii, id enim sanctum est; ut vero ei digne respondeam, sanctus esse debeo, id est, procul a terrenis desideriis, cælestibus donis et omnibus virtutibus ornatus.

[1]) Ps 85.

Ita est, mi sacerdos, in hoc vocatus es. Tuum est, sanctum esse et sanctitatem officii vitæ sanctitate tueri; illam quidem grata et humili mente coram Deo profiteri potes, hanc vero supplex semper petere debes, ut sanctis moribus tam sanctæ vocationi respondeas et Deo placeas, qui Sanctus sanctos vult habere ministros. Ideoque merito oras: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum;* tam variis enim modis, tot occasionibus, periculis et insidiis in hac vita impetitur sanctitatis propositum, ut, nisi Deus custodiat animas nostras, frustra vigilent, qui eas sanctas et illæsas custodire nituntur. Tu nihilominus, duce et comite Dei gratia, omni custodia custodi cor tuum.

2. *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum, ego Dominus, et separavi vos a ceteris populis, ut essetis mei.*[1]) Merito Deus summe *sanctus,* id est purus et innocens, tales quoque *sanctos* esse jubet, quibus uti amicis et domesticis sancta sua communicet. Ubi enim similes sunt mores, facile coalescit amicitia. Nam similitudo morum conciliatrix est amicitiæ. Porro præcipuus hujus sacramenti finis et effectus est unio cum Deo. Cum vero Deus sit spiritus isque purissimus, quo

[1]) Lv 26. et 21.

fueris spiritualior et purior, id est, a rebus corporeis abstractior et alienior, eo propinquior et similior eris Deo faciliusque fies unus spiritus cum Deo et divinæ consors naturæ.

3. „Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas cælestis hujus sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.*“[1])

4. „Eum, qui pro civitate tota, quid dico civitate? immo vero pro universo terrarum orbe legatus intercedit deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem quæso esse oportet? — Quandoquidem quasi mundum universum habens sibi concreditum atque adeo tamquam omnium Pater factus sic ad Deum ipse accedit deprecans, quidquid ubique bellorum est, exstingui, turbas solvi, pacem et felicem reipublicæ statum restitui; de-

[1]) Conc. Trid. sess. 13. c. 7.

nique maturum malorum omnium unicuique imminentium, qua privatim, qua publice, remedium postulans. — Cum autem ille et Spiritum Sanctum invocaverit et sacrificium illud horrore ac reverentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assidue pertractato, quæro ex te, quo illum in ordine collocabimus? Quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera, quales manus talia administrantes esse oporteat, qualem linguam, quæ verba illa sacra proferat, qua denique re non puriorem sanctioremque esse conveniat animam, quæ tantum illum tamque dignum Dominum receperit." [1])

5. „Quam mundæ debent esse manus illæ, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum erit cor sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis?

„Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nullum nisi honestum et utile procedere debet verbum, qui tam sæpe Christi accipit sacramentum." [2])

S. Francisco hæsitanti circa susceptionem sacerdotii, apparuit Angelus in manu phialam ex crystallo limpidissimam ge-

[1]) S. Chrysost. de sacerd. l. 6. c. 3. [2]) Thom. Kemp. l. 4. c. 11.

stans hisque eum verbis alloquens: Francisce, animum sacerdotis decet, instar hujus crystalli purum et splendidum esse. Qua quidem visione deterritus sacerdotio abstinuit, diaconatu solo contentus.[1])

Vide plura exempla sacerdotio præ reverentia abstinentium, apud Ludovicum Blesensem, qui ipse sacerdotium fugit et ait: Voce humana explicari non potest, cum quanta devotione confici, cum quanta cautela dispensari, cum quanta reverentia suscipi debet corpus Christi. Conficere vereor, quod affecto suscipere (quasi dicat, suscipere tutius de manu sacerdotis, quam ex officio sacerdotis conficere). Nam cum utrobique pura conscientia exigatur, tamen vita perfectior et conversatio eminentior propter varias illius ordinis circumstantias a sacerdote requiritur.

Sed quid mihi facto opus, dices, cum jam sim initiatus sacerdotio nec jam, si detrectare velim, liceat; nec detur regressus ad gradum inferiorem?

Unica restat via corrigendi erroris, si quis forte inconsulto et præcipiti ingressu commissus est. Vel nunc tandem serio vide, qui sis et ubi sis. Attende tibi et militans Deo non implica te negotiis sæ-

[1]) S. Bonav. in vita.

cularibus; age, quod agis, ut Deo probes ministerium tuum.

6. „Consulo cuilibet sacerdoti, ut præ ceteris hominibus se omni tempore ab omnibus, quæ aliquo modo cor suum (habitaculum Regis summi) polluere possunt, sive parum sive multum, tam occasionaliter quam actualiter, elonget se, quantum potest. — Tum autem præcipue, cum ad Missam vadit celebrandam, a cunctis se abstineat, quantum potest, et se totum recolligat in seipso, ut nec sensus nec cogitatio ad aliud diffundatur, suam conscientiam discutiat diligenter, et quod invenerit lavandum, lavet abundantia lacrimarum, vadat ad confessorem suum, etc.“ [1])

7. „Nimis impossibile est, fratres mei, ut is, qui rerum familiarum curis opprimitur, qui simul habitando et colloquendo turbis quotidie popularibus admiscetur, mundo corde sanctis valeat interesse mysteriis. In quibus videlicet terribilibus sacramentis cælum aperitur, et virtutes angelicæ simul cum hominibus diversantur. — Quanta ergo munditia debent esse clerici, quam nitidi, quam denique a cunctis negotiorum sæculorum fœtoribus alieni? Qui videlicet velut contubernales et con-

[1]) S. Bonaventura. Opusc. de instruct. Sacerd.

domestici Angelorum consortio perfruuntur et sacramentorum cælestium Deo cooperatores et dispensatores exsistunt.“ [1])

Porro quam severe Deus sanctitatem in tractandis sacris mysteriis exigat, palam ostendit severitate justitiæ, quam in violatores hujusmodi sanctitatis non semel exercuit. Thomas a Villanova Archiepiscopus Valentinus, vir sanctissimus, postquam nonnulla exempla divinæ vindictæ severissima ob arcam minus religiose habitam commemorasset, merito, velut attonitus, in has prorumpit voces: „O quanta gravitas, quanta severitas, quanta majestas, quantus horror, quantus terror, in arca lignea? Tantane tibi, Domine, cura de ligno? non utique, sed propter nos hæc omnia facta sunt. In illis terremur, in illis admonemur, in illis instruimur; illos examinas, ut nos erudias, et in eis discamus, quanti piaculi simul et periculi sit, indigne tractare aut sumere sacrosanctum Christi corpus in hostia salutari, cujus typum sic Deus magnificavit, sic sublimavit, sic vindicavit. Væ sacrilegis manibus, væ immundis pectoribus immundorum sacerdotum, a quibus tam insolenter quotidie tangitur et suscipitur. Si talis ultio in umbra, qualis

[1]) S. Petrus Damian. Opusc. de communi vita Canon.

fiet in veritate? Si ignoranter aut impudenter videntes aut tangentes typicam illam similitudinem tam acerba morte damnati sunt, quæ animadversio fiet in contemptores majestatis? Horresco referens, et toto corpore contremisco. Tantum mysterium non in seipso, sed in sua potius umbra debuit commendari, ut sciamus, quod omne supplicium et tormentum minus est flagitio, quo Christus contemnitur in hoc sacrificio. Jure optimo clamat Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Audito hoc tonitruo quis non contremiscat? Ad hujus tubæ sonitum cujus aures non tinniant? Quis de cetero, his cognitis, impurus et immundus audeat accedere?“ Ita vir religiosus, zelo Dei plenus. [1])

Caput 4.

Probatio sui ipsius ante Missam.

1. *Probet ergo seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.* 1 Cor 11.

[1]) S. Thomas a Villanova Conc. 3. in Festo Corporis Christi.

Probatio hæc constat imprimis accurato sui ipsius examine, ut non obiter et perfunctorie, sed serio quisque secum dispiciat, qualis ipse sit et qualis ille cibus, quem sumpturus est; num talis, ut digne ad Domini mensam conviva veniat; num mundus et veste nuptiali ornatus; nec cum indignatione Domini ejiciatur foras et in tenebras exteriores.

Terribile sane verborum fulmen, *reum esse Corporis et Sanguinis Domini,* et, *judicium sibi manducare et bibere.* Sed quam rari, qui id serio et pro dignitate considerent? qui ponderato rei tam gravis et periculosæ discrimine salutarem metum ad cautelam sui concipiant? Raritatis argumentum est accessus multorum ad tremenda mysteria tam facilis, præceps et temerarius; eorum, inquam, qui, si sese juxta præceptum Apostoli serio probarent, se prorsus indignos invenirent, proindeque horrerent, se reos facere læsæ majestatis et horribile sibi judicium superni judicis accersere. Rei corporis et sanguinis Christi erant Judæi, qui hunc crudeliter effuderunt, illud in crucem egerunt; sed hodie non minus, immo magis illi, qui utrumque indigne sumentes polluunt. Nam isti, si cognovissent, non crucifixissent; hi cognoscunt, et violant.

Sed audiamus Bonaventuram miseros istos deplorantem. „Heu, inquit, quot sunt hodie sacerdotes miseri et suæ salutis improvidi, qui Corpus Christi in altari velut carnes pecudum manducant et involuti et contaminati abominationibus, de quibus fas non est dicere, sceleratis manibus et pollutis labiis contingere non verentur et osculari Filium Dei et Mariæ Virginis Unigenitum.“ [1])

2. „A nullo plane Deus omnipotens majoris injuriæ præjudicium tolerat, immo deterius nemo peccat, quam sacerdos, qui indigne sacrificat. — Alias quocumque modo peccantes quasi Dominum in rebus ejus offendimus, indigne vero sacrificantes velut in personam ejus manus injicere non timemus.“ [2])

Ss. Patres peccatum indigne celebrantium et communicantium passim comparant, immo gravius judicant peccato Judæ Christum post acceptam buccellam tradentis et Judæorum Salvatorem crucifigentium. „Gravius, inquit S. Augustinus, peccant offerentes indigne Christum regnantem in cælis, quam qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. — Magis peccant, qui tradunt Christum peccatori-

[1]) S. Bonav. de præp. ad Miss. c. 4. [2]) S. Petrus Damianus.

bus membris, quam qui tradidit ipsum crucifixoribus Judæis.“ [1])

Justa proinde, etiam hoc tempore, Dei adversus tales indignantis querimonia: *Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, offertis super altare meum panem pollutum. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, et munus non suscipiam de manu vestra.* [2]) — Et iterum: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus, plenus sum* [3]) (q. d. nauseo super hujusmodi sacrificiis). *Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi.* [4]) Filii Aaron offerentes ignem alienum, Oza arcam ruentem fulciens, Bethsamitæ eamdem curiosius intuiti (omnes scilicet circa figuras et umbras tantum hujus nostri sacramenti minus religiosi), o quam gravibus luerunt pœnis; quidquid id erat criminis? Horum nos exempla legimus, audimus, miramur; sed quibus digni suppliciis, si ne sic quidem emendamur? Felix et sapiens est, qui ex alieno malo corrigit aut cavet suum.

Mirum, si hujusmodi exempla non incutiant horrorem temerariis sacerdotibus tam leviter et profane in sacra irruentibus: *An quia non profertur cito contra*

[1]) S. Aug. in Psal. 68. [2]) Mal 1. [3]) Is 1, 11. [4]) Ib. 1, 13.

malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala?[1]) Sed ne dicas, mi sacerdos, peccavi, et quid mihi accidit triste? *Altissimus enim est patiens redditor et in peccatores respicit ira illius.*[2]) — *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? An ignoras, quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.*[3])

Non sinet impune violari sancta sua Deus. Tangit pupillam oculi ejus, qui illa contaminat. Differt sæpe, sed tarditatem supplicii gravitate compensaturus. Laneos habet pedes, sed ferreas manus. Unusquisque consideret, non quid passus sit, sed quid pati mereatur. Nec evasisse se credat, si eum interim pœna distulerit; cum timere plus debeat, quem sibi Dei judicis censura reservavit.

„Si a Domino imperatum est Moysi, ut bestia, quæ montem tangeret, obrueretur lapidibus, num divinum valebit evitare judicium, quicumque bestialiter vivens ad spiritualem Dei montem minime formidat

[1]) Ecl 8, 11. [2]) Sir 5. [3]) Rom 2.

accedere?“ [1]) — Et alio loco: „Væ, qui pollutis manibus et maculato corde sacramenta sancta tractare præsumit. Si enim impune non transit, qui arcam Domini inclinatam præsumpsit erigere, quomodo divinam evadet ultionem, quisquis in mortali peccato constitutus temerario ausu mysteria cælestia manducare voluerit? *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat.*“ [2])

3. „Pro sumentium dispositione cibus hic dispares etiam operatur effectus: quem enim reperit mundum et justum, amplius mundat atque sanctificat, quem autem sordescentem invenit et immundum, deteriorem facit, quoniam sancta et immaculata iniquitatibus pollutus præsumpsit sumere sacramenta.“ [3])

„Judam imitatur hujusmodi (ait idem alio loco), qui, percepta panis buccella sceleratior factus, a conspectu veri luminis se absentando fugit ad tenebras, quatenus conceptum perageret facinus. Hinc est, quod indigne sumentes præ ceteris delicta graviora committunt et pertinaciores in malo atque ad emendationem vitæ tardiores sunt.“ [4])

---

[1]) S. Laur. Justin. serm. de Eucharist. [2]) S. Laur. Justin. de casto connub. cap. 24. [3]) S. Laur. Justin. de Triumph. Christ. Agone, c. 4. [4]) S. Laur. Justin. serm. de Eucharist. n. 9.

4. „Res quidem sancta sicut justis in adjutorium, ita injustis et peccatoribus vertitur in judicium. Malus namque manducando bonum male facit; non quia malum sit manducare bonum, sed quia malum est bonum non manducare bene. — Solis lumen sanis oculis delectabile est, ægris vero odiosum; corpusque Dominicum innocentibus salutis medicamentum est, scelestis autem animæ mors. — Mundet igitur se compunctionis et lacrimarum lavacro, carnis lumbos castitatis funiculo succingat, devotionis affectu se componat, virtutum se ornet gemmis sicque Dominicæ memor passionis quisque ad sanctum accedat altare divina suscepturus mysteria.“ [1])

5. „Si Christus nos attenderet et non infinitam suam bonitatem, jam a nobis abstulisset divina sacramenta; dignos enim nos hac pœna efficimus et indignos ipsis sacramentis, dum ea suscipientes minus digne et illa et Christum traducimus et, quantum in nobis est, fama et honore spoliamus.“ [2])

A multis jam divina sacramenta ablata sunt (nempe a tot regnis et provinciis hæresi subjectis), a multis videntur au-

---

[1]) S. Laur. Justin. de casto connub. c. 24. [2]) S. Chrysost. hom. 66. ad pop. Ant.

ferenda, nisi alieno malo sapere et suum sacramentis honorem denuo reddere didicerint.

Eant nunc et quærant multi, quid sit, cur ita vastentur regna et provinciæ, polluantur templa, profanentur altaria, pellantur sacerdotes, violentur sacramenta et (ut verbis Scripturæ loquar) cur sacra dentur in conculcationem; nonne hæc vitio et culpa malorum sacerdotum et res sacras indigne tractantium fieri merito dicemus?

Nimirum tolluntur ab ingratis beneficia, ab impuris sacrificia, aufertur ab indignis regnum et datur genti facienti fructus ejus.

Filios Heli in sacrificium Domini impios et injurios gravis Dei vindicta corripuit; sed et in totum populum tristis exinde clades incubuit. Quin et arca in medium adducta, ut præsidio esset, adeo non fuit, ut præter novam populi stragem et ipsa in manus hostium veniret.

„Sic enim (ait Prosper) Deus Israël irascitur peccantibus sacerdotibus, ut etiam sacratis locis suis vasisque non parcat. Hei mihi, cum magno gemitu et inexplebili fletu dicam: præcurrentibus peccatis impieque agentibus nobis, nostris quoque hæc mala provenire temporibus.“ [1])

[1]) S. Prosper de Promiss. part. 2. cap. 24.

Reviviscat tandem in viris ecclesiasticis zelus domus Dei; cedat concupiscentia carnis et ambitio sæculi, redeat prisca pietas, Dei timor et sacrorum reverentia: et redibit optata pax et fiet tranquillitas magna. Si his neglectis alia tentamus remedia sopiendi fluctus, verendum, ne gravior aliquando tempestas ingruat et, quidquid residuum est, absorbeat.

6. „Ne sacerdotes Dei pro benedictione maledictionem super se ac universum populum inducant, caveant omni cura ac sollicitudine, ne umquam alicujus mortalis peccati sibi conscii, quantumvis sibi contriti videantur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedant.“ [1])

Mutuatus est ultima verba Concil. Trid., ubi additur: Quod si sacerdos urgente necessitate absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur. [2])

7. „Diligenter examina conscientiam tuam; et pro posse tuo, vera contritione et humili confessione eam munda et clarifica, ita ut nihil grave habeas aut scias, quod te remordeat et liberum accessum impediat.“ [3]) — Idem monet Dionysius Carthusianus. „Non sufficit, ait, si quis

[1]) Octav. Frangipani, Nunc. Apost. per Germ. infer. Discipl. Eccl. tit. de div. off. n. 50. [2]) Sess. 13. c. 7. [3]) Thom. Kemp. lib. 4. c. 7.

dicat, conscius mihi non sum de peccato mortali; nisi diligentiam debitam fecerit ad cognoscendum, an sit in tali peccato, perscrutando sufficienter pro posse conscientiam suam, an in ea quid lateat culpæ mortalis.“ [1])

8. „Sacerdos itaque, ut securius accedat ad altare, prius in altari cordis sui offerat Deo sacrificium spiritus contribulati, quam sacrificium offerat corporis et sanguinis Domini.“ [2])

Nam cor contritum et humiliatum Deus non despicit. Quid si una cum illo sacrificium unigeniti Filii sui obtuleris, quomodo despiciet? Quin respiciet ad offerentem et ad munera ejus, et odorabitur Dominus odorem suavitatis. At contra victimæ impiorum abominabiles coram Deo et nauseam ei movent. Sanguis filii Dei, si ex corde contrito offeratur, clamabit ad Deum de terra pro nobis veniam, si ex corde impuro, vindictam. Qui hoc sacramentum indigne et sine probatione sui sumunt, eos Apostolus severa comminatione divini judicii terret. At si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur. Modum seu formam hujus judicii deinceps audiamus.

[1]) Dionysius Carthus. de sacram. altar. seu de conv. et debita præpar. ad comm. [2]) Ludov. de Ponte, tom. 4, tr. 2, c. 6.

9. „Evome ergo et purga fæces peccatorum tuorum spiritu contrito et humiliato, memorans, quanta commisisti cogitatione, verbo et opere; quanta boni omisisti; quæ facere debuisti et potuisti, et veniens ad spiritualem medicum dic peccata tua non communi et generali confessione.“ [1])

19. „Verum, si vis sanari, aperi vulnera tua et de profundo corde enarra clare et aperte, quæ egisti, non solum opera, sed et cogitationes perversas, quarum delectatio mentem maculat; non solum mortalia, sed etiam venialia graviora, quæ conscientiam lædunt et mordent.“ [2])

11. „Illa præcipue ad confessionem ex venialibus collige, quæ magis tuam conscientiam inquietant aut pudorem ingenerant. Levissima enim tantum confiteri, quæ sanctus quisque de se dicere potest, et majora reticere insignis stultitia est. Si ita facias, non ad confessionem et medelam, sed ad laudem et ad umbram quamdam humilitatis confessione uteris. Eveniet etiam aliquando, ut id, quod taces, non sit tam leve, ac tu amore proprio cæcus existimas, immo ut pro veniali celes mortale. Si leve est, cur dicere erubescis? si autem grave est, cur tuam conscientiam lædis et grave pecca-

[1]) S. Bonav. de Præp. ad Miss. c. 12. [2]) Ibid.

tum in confessione tacendo novum aliud grave committis? si tandem dubium, cur non animadvertis in dubio isto, ex quo te extricare non potes, ad ejus te confessionem obligari?“ [1])

12. „Non solum mortalia, sed et venialia ante Missam et communionem expurganda. Unde qui cum conscientia peccatorum venialium actualium per confessionem aut contritionem non deletorum communicare præsumit, exiguum inde fructum referet. Nam peccata venialia pœnitentiæ remedio non abstersa impediunt, ne anima uberes gratiæ in hoc divinissimo sacramento redundantis fructus percipiat. — Addit idem auctor: „Et vero, si aliqua peccata venialia hoc impediant, maxime illa, quæ in habitum versa altasque in anima radices egerunt; potissimum quando sunt inordinatæ ad creatas res affectiones. Nam donec ejusmodi malignæ radices evellantur, vel saltem omnino efficacibus desideriis in seriam illarum, cum Dei auxilio, eradicationem desudare quis proponat, modicum hujus admirabilis sacramenti fructum consequetur.“ [2])

Ad delenda peccata et eorum affectum, ad pellendum languorem et fervorem ani-

[1]) Alv. de Paz, l. 3. de vit. relig. c. 3. [2]) Thomas a Jesu in meth. discr. prof. spirit. cap. 6.

mi excitandum juvat crebra confessio. De mortalibus quidem confitendis præceptum est; de venialibus vero consilium hominibus, eximiæ puritatis et pietatis erga venerabile sacramentum studiosis, quorum plerisque quotidianam confessionem in usu fuisse legimus, e. g. S. Carolo Borromæo, S. Ignatio.

„Licet enim peccata venialia non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, obnubilatum, indispositum et ineptum, nisi isti pulveres et stipulæ per afflatum spiritus et flammam caritatis ventilentur et consumantur.“ [1])

Hanc purgationem venialium nobis innuunt tot purificationes et lotiones olim in V. T. sacerdotibus præscriptæ; quæ omnia, nisi fuissent signa rerum spiritualium et figuræ purificationis majoris momenti, otiosa et frustranea viderentur. Idem nos Salvator Christus ipse docet, cum, antequam Apostolos ad corporis et sanguinis sui sumptionem admitteret, eorum pedes ablueret. Sed nonne mundi erant, ipsius Christi testimonio? *(Jam vos mundi estis propter sermonem meum.)* Ad quid ergo mundandi? quorsum tam operosa lotio et cur tam necessaria? *Si non lavero te, etc.* Audi: *qui mundus*

[1]) S. Bonav. de Præp. c. 6.

est, nempe a gravioribus et mortalibus, *non indiget, nisi ut pedes lavet,* nempe affectus, pedes animæ, quibus terram non possumus non contingere; hinc sæpissime ad alterum pene vestigium sordescunt.

„Discipuli antea mundi, (ait Alvarez de Paz) amplius mundati sunt et pedibus loti, ut et ipsi et omnes posteri intelligerent sacerdotis munus eximiam quamdam postulare munditiam.“ [1])

Sed melius ista Bernardus melleo ore nobis edisseret: „Et unde scimus, quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, et a quibus plene cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus et caput pariter ad abluendum responsum est: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Lotus est, qui gravia peccata non habet, cujus *caput,* id est intentio, et *manus,* id est operatio et conversatio, munda est; sed *pedes,* qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati aut curiositati plus, quam oportet, cedat animus vel ad horam. *In multis enim offendimus omnes.* Verumtamen

[1]) Lib. 1. de vit. rel. c. 8.

nemo contemnat aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui nisi per Christum Jesum et a Christo. Nemo, inquam, perniciosa securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam, (ut audivit Petrus ab ipso) nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo.“

Superiorem doctrinam egregie confirmat S. Gregorius, nam commentans in illud: *repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt,*[1]) ita scribit:

„Hæc verba contra negligentes sacri altaris ministros atque audaces Dominici Corporis susceptores convenienter dici possunt, quia licet sacramentum ore percipiunt, virtute sacramenti non replentur. A virtute ergo illa sacramenti jejunant, quia repleti fuerant. Salutis quippe fructum non percipiunt in comestione salutaris hostiæ, quia ea, quibus se repleverant, flagitia portant in mente. Non saturantur ergo nisi famelici, qui a vitiis perfecte jejunantes, divina sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis.

Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut a

[1]) 1 Rg 2, 5.

peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etsi minima sunt peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ saturitatis. Hac repletione nos evacuari Paulus insinuans ait: *Probet seipsum homo,* etc. Quid enim est hoc loco probare nisi evacuata peccatorum nequitia se probatum ad Dominicam mensam et purum exhibere?“ [1])

13. „Assiduum studium exstirpandi in se peccata venialia et affectiones inordinatas, proprium est viris sanctis et piis, qui soli sacramenti hujus excellentiam recte æstimare norunt, ut omni, qua possibile est, puritate et sanctitate mentis ad sanctissimum sacramentum veniant et spiritualem ejus gustum percipiant.“ [2])

Sed dices, quomodo sanctitas cum assidua peccatorum venialium lucta consistere potest? si adhuc peccatores, quomodo sancti? Pulchre declarat hoc Dionysius Carthusianus.

„Sanctis viris, inquit, id proprium est, quod venialia peccata tota diligentia studeant cavere; et quæ cavere sigillatim non

[1]) S. Greg. lib. 2. c. 1. in lib. 1. Reg. [2]) Dionysius Carthus. libr. de expos. Miss. art. 3.

valent, incessanter quotidie deflent, redarguunt, confitentur et emendant. Unde merito sancti dici possunt, licet quotidie venialiter cadant. Nam sanctæ devotionis sollicitudo et ignis caritatis divinæ in eis celeriter pleneque consumit, quidquid venialiter delinquunt sive omittunt. Immo cum eis omnia cooperentur in bonum, non solum imperfectum suum sufficienter deplorant et corrigunt, sed etiam occasione ex venialibus culpis accepta quotidie perfectiores sanctioresque fiunt; quoniam dum tantum proficere nequeunt, quantum desiderant, semetipsos profunde humiliant, vehementer despiciunt, sollicite ambulant et quidquid jam ante operati sunt pro nihilo æstimantes sincerius coram Deo magisque reverenter conversari laborant." Ita ille loco citato.

Non possum tamen, quin hic inseram piam contemplationem, quæ P. Balth. Alvarez ipso Epiphaniæ Domini die a sacro meditanti venit in mentem et mihi in manum hæc ipsa eodem festo scribenti. Nam dum meditando secum beatos reputaret Magos et eamdem felicitatem sibi optaret, responsum audivit intra se: Illi adorarunt, at idem jam datus est tibi, et tu illum ipsum gestas intra te; hoc est, major est tua felicitas, sacerdotum quoque et omnium piorum, quam istorum Magorum.

Alium præterea sensum internum dedit illi Dominus, quique magis facit ad præsens propositum (de exstirpandis inordinatis affectibus) occasione illorum verborum, *Ecce Magi ab Oriente venerunt.* „Nempe mirum esse, quod reges, divites ac sapientes quærant Deum; sed cur? quia necesse est cadere idola, si velint ita Arcam recipere, ut commodum inde sentiant. Imprimis enim debet cadere amor sui, in nobilibus honor, in divitibus deliciæ, in sapientibus arrogantia. Nam hæc illi plurimum amant; et ne deserant, statuunt potius Arcam Dei a se rejicere ac dimittere, dicentes cum illis: *Non maneat Arca Dei Israël apud nos, quoniam dura est manus ejus super nos.*“ [1])

„In quibus verbis (teste scriptore vitæ) aperuit illi Dominus causas, cur multi, præcipue nobiles, divites ac deliciosi recusent recipere arcam vivam novi testamenti in sanctissimo sacramento repositam, aut eam exiguo cum fructu recipiant; quia scilicet volunt in altari cordis sui idolum Dagon, nempe rem illam seu creaturam, quam inordinate diligunt, retinere: quæ nisi in terram cadat et mortificationis gladio caput ejus, manus ac pedes amputentur, ut cesset deinceps ab

[1]) 1 Rg 37.

imperfectionibus et vitiis in cogitando, loquendo et agendo committi solitis, non efficiet in tali corde divina hæc arca stupenda misericordiæ suæ opera, sed justitiæ, puniendo illos magna ariditate, languore, obscuritate mentis, etc.“ [1])

Hæc ideo visum inserere, ut intelligas, quanti referat ad fructum et gustum hujus sacramenti percipiendum non gravioribus tantum peccatis, sed et leviori-bus et affectibus inordinatis exuendis incumbere.

Sed mirantur forte nonnulli, quorsum tam frequens sui examen, tam crebra et scrupulosa conscientiæ discussio. Nesciunt forte aut non inveniunt, quid toties confiteri, quid in se culpare vel accusare, de quibus conteri, adversus quæ vitia pugnare debeant. Verum nonne in multis offendimus omnes? nonne justus quoque septies cadit in die? Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas in nobis non est. Putant plurimi se divites esse, et nesciunt, quia miseri sunt et mirabiles.

An forte transierunt in affectum cordis, et ideo carnis et spiritus luctam minus sentiunt? Incipiant pie vivere: et videbunt, quot hostibus obsideantur et quot

[1]) Lud. de Pont. in vita Balthas. Alvar. cap. 6.

petantur insidiis. Neque sibi blandiantur de pace, cum foris sint pugnæ, intus timores et cum potestatibus tenebrarum harum assidua nobis sit colluctatio.

Ceterum hos consulere jubeo Thomam de Kempis lib. 4. c. 7. exhibentem ipsis paradigma quotidiani ante Missam examinis, immo confessionis, ubi longum satis catalogum texit ex defectibus et lapsibus quotidianis, quibus plerique omnes facile in dies delinquimus.

Inspiciant illud prius et deinde seipsos, facile deprehendent, quid in se reprehendant; videbunt, inquam, quam fecundum in agro cordis nostri sit vitiorum seminarium.

Esto non sit ibi cicuta aut herbæ venenosæ (lethalia crimina), invenies tamen illic zizania, lolium, steriles avenas herbasque noxias, quibus bonum semen et utiles plantæ suffocantur, ubertim succrescere et, nisi assiduam culturæ manum admoveas, identidem evellas, destruas et plantes, sic invalescere, ut tandem silvescat prorsus et in spinas, sentes, tribulos dumosque degeneret. Sic nempe agrum hominis pigri totum replent urticæ.

Caput 5.

Fides et devotio erga divinissimum Sacramentum.

1. Tanto diligentius et accuratius præstabis omnia ad pium sanctumque hujus sacramenti usum requisita, quo fides tanti mysterii magis vivida et animosa fuerit. Quidquid hic peccatur, dixeris fidei defectu fieri. Itaque fidei exercitium hic imprimis utile est. Nam viva et indubia fides quasi basis est, cui innititur omnis erga hoc mysterium devotio. Non mirum, si hæc tepet, cum torpet et friget illa.

O quam efficax hic ad devotionem, reverentiam et omnem pietatem stimulus credere, summum Deum, ipsum cæli terræque Regem, Dominum, Redemptorem ac Judicem nostrum in manus, in os, pectus nostrum reipsa sese dimittere, uti fides docet.

Dices: Quomodo fieri potest, ut, qui se ista credere profitentur, tam languide et irreverenter sæpenumero tractent tantum mysterium? Miraris hoc? Et ego idipsum miror. Dicam tamen, quod sentio. Fidem habemus, sed non adhibemus, ubi necesse est; ubi res ac ratio postulat ejus usum et exercitium, nos otiosam et velut inclusam delitescere sinimus. Quid

ægro prodest præstans et efficax pharmacum in theca repositum, si non adhibeat, cum ejus usum morbus exigit? Quorsum saucio pretiosum unguentum aut emplastrum, si vulneri non admoveat? Quid prodest militi gladius in vagina conditus, si numquam exserat in hostem? Quorsum illi servo pigro et nequam talentum, sed ligatum in sudario aut defossum in terra? Nam quod ad lucrandi fructum attinet, parum refert, an aurum, an plumbum in arca aut sudario recondas.

Sic sane fides hujus mysterii (uti et ceterorum), quia otiosa fere delitescit in angulo cordis et numquam vel raro exseritur aut exercetur, nullam virtutis suæ vim exserit et ostendit.

Fides, inquam, nostra est sicuti granum sinapis aut piperis, quod, dum integrum glutitur, vix sentitur, sed contusum et comminutum acrimonia sua nares et cerebrum tentat ac irritat.

Contundamus et nos mysteria fidei nostræ (inter quæ maximum hoc corporis et sanguinis Domini) in mortario cordis nostri et conteramus dentibus considerationis, tunc præcipue, cum illud ore manibusque tractamus; cum ipsum auctorem fidei et consummatorem Christum Jesum nobis intime conjungimus: et mox experiemur, quam vim viva fides habeat.

Verbis fatemur nos ista credere, sed præstat factis. Ostendamus ergo ex operibus fidem nostram; faciemus autem, si curamus tamquam ad Deum ipsum sancte et pure, ad Creatorem religiose, ad Salvatorem reverenter, ad Dominum humiliter, ad Patrem amanter, ad Judicem suppliciter accedere.

Unde S. Bonaventura monet, ut accessurus ad mensam cælestis convivii primo probet et diligenter examinet seipsum, cum qua fide accedat.

2. „Cum ergo accedis, cave, ne dubitando vacilles et tamquam cæcus manu tentans innitaris baculo arundineo, scilicet argumentis naturalibus et rationibus humanis quærendo, quomodo ista fieri possunt, sicut quondam Judæi. Sed subjice teipsum Deo, et captiva mentem tuam sub jugo fidei, quam tantis testibus roboratam vides. — Quid enim dubitationis de hoc Sacramento remanet, quod a Christo tam expresse traditum, ab Apostolis prædicatum, a sanctis Patribus orthodoxis tot centenariis annorum præfiguratum tantisque cæremoniis, tot miraculis et prodigiis, quasi testimoniis palpabilibus vides confirmatum?“ [1])

[1]) S. Bonav. de præp. ad Miss. c. 2.

3. „Fides a te requiritur et sincera vita; non altitudo intellectus neque profunditas mysteriorum Dei. Non fallit te Deus; fallitur, qui sibi ipsi nimium credit. — Perge itaque cum simplici et indubitata fide et cum simplici reverentia ad sacramentum accede; quod intelligere non vales, Deo omnipotenti secure committe.“ [1])

Dic ergo ex imo cordis affectu cum Petro: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* vel cum Thoma Apostolo: *Dominus meus et Deus meus;* vel cum Thoma Angelico: *Adoro te devote, latens Deitas, quæ sub his figuris vere latitas, etc. Credo, quidquid dixit Dei filius, nil hoc verbo veritatis verius, etc.* Totus hymnus mire pius et utilis est ad exercitium fidei.

4. „Actualis devotio excitatur attenta meditatione hujus sacri mysterii, cujus tanta vis est ad capiendas et illaqueandas amore animas, ut saxea sit illa, vel potius aëna, quæ ad tanti ignis præsentiam non liquefiat.“ [2])

5. Actualis devotio in usu hujus sacramenti semper, quantum possibile est, procuranda.

Æquum enim est, ut is, qui sacrificium ex flagrantissimo infiniti amoris excessu

---

[1]) Thom. Kemp. lib. 4. cap. 18. [2]) Alvarez de Paz de vita relig. libr. 1. cap. 8. § 3.

institutum Deo, qui ignis consumens est, immolaturus accedit, simili quoque devotionis igne totus inardescere studeat, quo facilius divini amoris flammas ex participatione ignitissimi sacramenti totis præcordiis hauriat.

An vero actualis devotio ita sit necessaria, ut ejus defectu impediatur effectus gratiæ sacramentalis, disputant plerique inter theologos. Respondeo: Dignitas hujus sacramenti actualem requirit, non tamen, ut absolute necessariam ad primarium ipsius effectum, sed ut magis fructuosam et utilem ad spiritualem ejus gustum percipiendum. Et hoc addimus ad consulendum timoratis conscientiis. Nam de aliis actuali devotione ex mera incuria carentibus aliud est judicium.

Consistit actualis devotio in spirituali fame et vehementi desiderio cælestis epuli; deinde in profunda humilitate et reverentia; denique in ferventi amore et fiducia.[1])

6. „Famem ac vehemens mensæ divinæ desiderium in anima sua excitare conetur sacerdos et pius quisque, qui gustu et dulcedine cælestis cibi plenius refici et spirituale virium robur acquirere desiderat."

[1]) Rodriguez p. 2, tr. 8. c. 5.

„Quemadmodum enim is cibus sapit optime alitque et roborat quam plurimum, qui cum fame et appetentia sumitur: ita cibus spiritualis hujus sacramenti singulariter reficit animam, quando magno cum desiderio sumitur. Nempe ut illic, ita hic quoque optimum cibi condimentum fames.“ [1])

Ex medicorum quoque sententia, in assumendis cibis plurimum ad bonam valetudinem momenti habet fames et appetentia, ita quidem, ut cibi quoque paulo deterioris noxam fames et desiderium corrigat. Quæcumque enim cum voluptate assumuntur, teste Galeno, ista ventriculus amplexatur et magis concoquit.

Si hoc in cibis minus bonis et salubribus, quid fiet in bonis et utilibus, si cum fame et voluptate sumantur? At quis melior aut salubrior, quam panis Angelorum, factus cibus viatorum? Jam vero, si cibos cum nausea sumamus aut ingestione cibi famem præveniamus, mox cruditas, morborum omnium seminarium, obstructiones atque putredines oriuntur: idem quoque in hoc cibo animæ valet, si citra desiderium sumatur.

7. „Cibi fastidium signum est male affecti et pravis humoribus oppleti ventri-

[1]) Rodriguez loco citato.

culi vel morbi vel emorientis vitalis facultatis. Ita nausea hujus cibi cælestis morbum animæ et imminentem mortem indicat.“ [1])

Absit ergo, ut nauseet anima nostra super cibo isto tamquam levissimo. Scimus, quibus et quam noxia fuerit hujusmodi nausea. Timendum sane, ne, qui nobis tam nobilem apponit cibum, si nauseantes viderit, et ipse nauseabundus incipiat evomere nos ex ore suo. Nempe *esurientes implebit bonis, et fastidiosos divites dimittet inanes.*

Hinc invitatis ad cenam, sed ex fastidio se excusantibus morbus avaritiæ, ambitionis, luxuriæ patuit. Vis aliud et gravius (mortis) videre periculum? Ecce, *nemo virorum illorum gustabit cenam meam.* Exclusio a cena, quid est nisi æternæ mortis pœna?

„Fastidire, ait Gerson, manna cælicum hujus benedicti sacramenti et ad ollas carnium, allia et pepones Ægypti suspirare signum est numquam pertingendi ad terram cælestis promissionis incolendam. Talium enim cadavera prostrata sunt in deserto; quales etsi corpore esse videantur in via Dei ad cælum, ipsi tamen lubrico amoris pede in ægyptia-

[1]) Gerson, sermo de Cena Dom. [2]) Ibid.

cam vitiorum ferreamque servitutem revertuntur.“ [1])

8. „Ut famem et desiderium cibi divini in te excites, expende illius excellentiam, dulcedinem, utilitatem; insuper animæ tuæ inediam, infirmitatem, morbos et miserias, quibus omnibus in uno hoc cibo præsentissimum offertur remedium.“ [1])

Cogita, quo desiderio nobis hæc mensa a Christo præparata sit. Ecce, *desiderio desideravit hoc pascha manducare vobiscum.* Et nos segniores erimus ad accipiendum, quam ipse fuerit ad offerendum? Quid si dives aliquis in magna fame et inedia publicum et lautum instruat convivium, omnes invitans pauperes et famelicos: an libebit his vagari magis per plateas, quam ad instructum prandium accurrere? an forte accumbent cum nausea et pigebit ad cibum manus extendere?

Ecce Deus dives in misericordia, qui *aperit manum suam, et implet omne animal benedictione,* is parat mensam in conspectu nostro cibo lautissimo instructam. Accedamus cum desiderio, et ipse reficiet animas inanes et animas esurientes satiabit bonis.

Quid si peritissimus medicus in nosocomium ingressus omnibus ægris certam

[1]) Rodriguez loco citato.

spondeat sanitatem, modo curari velint? Quis ibi tergiversabitur admittere tam benignam medici manum et medelam? At in hoc mysterio præsentissimus nobis adest medicus omnes sanans languores. Ecce cura et opera ejus claudi ambulant, cæci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, immo mortui resuscitantur. *Virtus de illo exit, et sanat omnes.*

9. „Reverentia et humilitas excitabitur in nobis, si serio expendamus venientis ad nos Domini immensam majestatem et gloriam: et nostram e contra extremam indignitatem et miseriam.“ [1])

Erubesces merito coram Deo ponderans, quam indigni sumus, ut nostri causa tanta majestas tam admirabile mysterium instituerit; sicque pudore perfusus deplora perversitatem tuam, quod tam segniter et languide sacramentorum omnium dignissimum usurpes.

Exemplo nobis præit publicanus, non ausus in cælum oculos levare nec ad Altare propius accedere; sed stans a longe et profunda animi demissione percutiens pectus suum ac dicens: *Propitius esto mihi peccatori.*

Filius quoque prodigus, humilians se coram patre ac dicens: *Pater peccavi in*

[1]) Rodriguez tract. 8. c. 5.

cælum et coram te, et jam non sum dignus etc.

Item Centurio ille: *Domine non sum dignus etc.*

Elisabeth a Virgine Deipara visitata, admiratur: *Et unde hoc mihi, ut mater Domini veniat ad me?* Quid nos, quos Dominus ipse visitare dignatur? *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quia visitas eum?*

Miphiboseth, filius Jonathæ, audiens se deinceps regiæ Davidis mensæ convivam fore, *quis ego sum,* ait, *servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?*[1]) Quid nos, toties in Dei ipsius mensa convivæ, ubi etiam ipso summi Regis corpore et sanguine pascimur?

Dic ergo ex intimo corde: Domine, quis es tu, et quis sum ego? O si noverim te, et noverim me. Domine, non sum dignus. Dominus meus et Deus meus. Tu rex cæli et terræ: ego pulvis et cinis et vilis terræ vermis.

10. „Amor et fiducia efficacius excitari nequit, quam si pensetur infinitus Dei in nos amor, bonitas et misericordia, si umquam vel uspiam in hoc præcipue mysterio elucescens.“[2])

---

[1]) 2 Rg 9. [2]) Rodriguez loc. cit.

Amor trahit amorem nec efficacior stimulus amandi est quam amari. Quis vero ardentius umquam amavit aut poterit amare quam Deus homines? *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,* olim in pretium et nunc in cibum, denique in præmium. *Proprio filio suo non pepercit Deus.* Christus ipse humiliavit semetipsum usque ad mortem et desiderio desideravit hoc pascha manducare nobiscum, in quo suum ipse corpus et sanguinem nobis in cibum daret.

Quis non redamet usque adeo nostri amantem? Quis etiam non accedat ad illum magna cum fiducia? Quid enim non dabit, qui totum dedit seipsum?

„Quis pastor, ait Chrysostomus, oves proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus; hoc autem ipse non est passus. Sed ipse nos proprio sanguine pascit et per omnia nos sibi incorporat.“ [1])

Ecce potens motivum amoris, quod nos ad reciprocum amorem permoveat. Sed audiamus præterea Chrysostomum aureis verbis et mire patheticis nos excitantem.

„Nonne videtis, quanta promptitudine parvuli papillas capiunt et quanto impetu

[1]) Hom. 60. ad pop. et 83. in Matth.

labia uberibus infigunt? Accedamus cum tanta et nos caritate ad mensam et ad ubera spiritualia: quinimmo cum longe majora trahamus, tamquam infantes lactentes spiritus gratiam; et unus sit nobis dolor: hac esca privari.“ [1])

11. „Pia et affectuosa Dominicæ Passionis meditatio optima, commodissima et convenientissima est actualis ad Missam et communionem devotionis excitandæ ratio.“ [2])

Nam in hac concurrunt omnia, quæ excitandæ devotioni præscribi possunt media et motiva. Omnium piorum affectuum hic affatim suppetit materia. Nimis stupidus aut ignavus est, qui hic non invenit, quo se exerceat, quo se excitet et inflammet ad omnia pietatis officia, ad hoc præsens præcipue, quod illius memoriale est.

Nam potissima ratio instituendi hujus sacramenti Christo fuit, ut perpetuam nobis commendaret suæ Passionis memoriam. Unde dicit: *hoc facite in meam commemorationem.* [3]) Si sacerdotis celebrantis vestimenta et tota sacra actio accurate spectetur, quid aliud quam Christi patientis mysteria nobis repræsentant?

[1]) Hom. 33. in Matth. [2]) S. Bonav. de Præp. ad Miss. c. 6. [3]) Lc 21.

Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.[1])

Hinc consulit S. Bonaventura, ut, quotiescumque ad hæc mysteria accedimus, aliquem articulum ex Passione Domini ruminemus. Hoc se observasse et inde animam suam divino amore liquefieri solitam testatur.[2])

Hinc quoque Trithemius, Abbas Spanheimensis, merito sic scribit: „Cum Missarum celebratio in memoriam Dominicæ Passionis per ipsum Redemptorem nostrum instituta sit, numquam se homo ad illam melius et fructuosius præparat, quam si per meditationem ipsius amarissimæ Passionis ferventius inardescat.“[3])

Hæc præcipua parandæ devotionis præsidia sunt. Sed quid, si iis omnibus diligenter adhibitis necdum sentias quam optas devotionem, sed ariditatem nihilominus mentis, teporem et languorem affectus animique distractionem experiaris? En consilium et solatium:

12. „Si post adhibitam diligentiam optatum in usu hujus sacramenti fervorem, devotionem, desiderium tibi deesse sentis, vehemens saltem illius desiderium in

[1]) 1 Cor 11. [2]) S. Bonav. de Præp. ad Miss. c. 6. et in fasc. c. 7. [3]) De tripl. reg. claust.

te excitare memento; et divinæ voluntati te conforma.“ [1])

Nam *desiderium pauperum exaudiet Dominus, præparationem cordis eorum audiet auris ejus,* et rationalis devotio sensibili multo sublimior; itaque omnem torporem et teporem, quantum vales, excute. *Dilata os tuum* saltem per vehemens desiderium, *et Dominus implebit illud, et dabit tibi petitiones cordis tui,* si non modo ad votum et voluntatem tuam, certe, cum volet ipse, ad salutem et utilitatem tuam.

Hanc præparationem sibi gratam Dominus suis dilectis non semel suggessit. S. Mechtildem, teste Blosio, sic communicare docuit: „Quando sacram communionem perceptura es, desidera et opta ad laudem nominis mei habere omne desiderium omnemque amorem, quo umquam cor aliquod erga me flagravit, et ita ad me accede; nam ego amorem illum in te accendam atque suscipiam, non sicut est in te, sed sicut velles eam in te esse.“ Idem de S. Gertrude refert idem Blosius in monili spirit. cap. 6.

„Quisquis ergo secure accedere cupit, non multum curet, quid sentiat, sed quid velit et intendat; affectum et voluntatem

[1]) Rodrig. loco citato.

suam ad Deum ex toto convertat, omnibus illis, quæ Deo displicent, cum humili voluntatis suæ in Dei voluntatem resignatione vale faciat ex ipso fundo.“ [1])

Ad confirmandum hanc doctrinam libet adscribere ex magno spiritus magistro verba solatii plena. „Licet, inquit, quis secundum hanc perfectionem conversari studuerit et tam quietam ac puram vitam et fervidam devotionem sortiri optaverit, non tamen semper ad nutum suum se taliter devotum inveniet, nec ideo a celebratione vel communione abstinendum opinor, dum fecerit homo, quod in se est, nempe vitam et conscientiam discutiendo, peccata confitendo, gratiam implorando et in spe divinæ clementiæ accedendo.“

„Quamvis enim experimentalem illam devotionem ac perceptibiliter dulcem affectum non habeat (quæ frequenter ex redundantia superioris appetitus ad inferiorem, seu voluntatis ad sensualitatem causatur), si tamen ratio optet Deo adhærere et vitiis dissentire laboret et voluntas motibus inferioris appetitus dominetur: tunc vera et intellectualis devotio adest. Et hæc sufficit, immo tutior est.“ [2])

[1]) Thaulerus in Inst. sacris. cap. 38. [2]) Dionysius Carth. lib. de expos. Miss. art. 3.

Idem præclare docet Laurentius Justinianus: „Nemo servorum Dei, inquit, ab hoc prorsus se subtrahat sacramento, quamvis actualis desit devotio. Diversimode operatur Dei sapientia in sibi famulantibus effectus gratiarum suarum. Nullique fas est judiciorum Dei arcana rimari et propterea non debet a sancto Domini convivio repelli indevotus juste vivens, virtuose conversans, humiliter se agnoscens, pure confitens et reverenter accedens. Talis quippe insensibiliter hoc sacramento nutritur ac vivit; nam manna absconditum est.“ [1])

Quid ergo restat, nisi ut cum pio Thoma dicamus: „Etsi necdum totus cælestis et tam ignitus ut Cherubim et Seraphim esse possum, conabor tamen devotioni insistere et cor meum præparare, ut vel modicam divini incendii flammam ex humili sumptione vivifici sacramenti conquiram. Quidquid autem mihi deest, bone Jesu, Salvator sanctissime, tu pro me supple benigne ac gratiose, qui omnes ad te dignatus es vocare, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*“ [2])

---

[1]) De desc. et prof. Mon. cap. 59. [2]) Thom. Kemp. lib. 4. cap. 4.

Recurre etiam, ait Reginaldus,[1]) ad beatissimam Virginem aliorumque Sanctorum patrocinium pro obtinendo necessario ad tanti regis exceptionem apparatu. Illi enim domestici ejus sunt et familiares plurimum apud ipsum valentes auctoritate; dignitatis item ipsius studiosissimi sunt ac nostræ utilitatis amantissimi. Imitemur rusticum, qui excepturus virum nobilem casam quidem suam purgare potest, sed ut eam ornet, ad alienam locupletiorum opem recurrit.

Caput 6.

Pura et sancta intentio celebrantium.

1. „Magna quidem in omni pietatis officio, sed maxima in hoc præcipuo religionis opere puræ et rectæ intentionis cura gerenda est.“[2])

Quanta sit vis puræ et sanctæ intentionis actionibus nostris adhibitæ, passim tradunt vitæ spiritualis magistri.

Per eam siquidem opera nostra Deo fiunt longe gratiora, nobis multo utiliora ad augmentum caritatis ac gratiæ et cumulum meritorum. Per eam minima admodum crescunt; sine illa etiam magna

[1]) In Praxi f. p. de ratione digne communicandi.
[2]) S. Bonav. de præp. ad Miss. c. 8.

et speciosa vilescunt. Minima, inquam, nostra per eam a Deo maximi fiunt; ut patet in vidua duo minuta offerente vel haustum aquæ frigidæ largiente; immo adiaphora quoque seu indifferentia fiunt Deo grata et nobis meritoria et velut virgula Mydæ aurea caritate inaurantur. Ratio est; nam actiones humanæ speciem sumunt a fine, ad quem ordinantur, aut ab intentione, qua fiunt; et „secundum quod finis, propter quem operamur, est laudabilis vel culpabilis, secundum hoc sunt opera nostra laudabilia vel culpabilia.“ [1])

Idque adeo verum est, ut, cum nihil sanctius sit in ecclesia quam tractatio sacramentorum, si ea fiat prava intentione aut perverso fine, mala sit et sacrilega. Itaque quo finis et intentio fuerit sublimior et nobilior, eo erit opus ipsum perfectius et excellentius. Verbi gratia sumptio cibi, potus, somni (ut de actionibus virtutum taceam) si fiat pro amore Dei et ad solam ejus gloriam, tantum excellit eadem naturæ opera solo fine naturali (nempe ad conservationem individui) facta, quantum solis jubar lumen lampadis; item eleemosyna ex amore Dei facta tantum superat eamdem solum ex humana

[1]) Thom. 1. 2. q. 1. art. 3.

compassione factam, quantum oceanus guttam aquæ. Vide jam, quanti referat nosse hanc alchymiam et artem omnium quæstuosissimam, qua ex vili plumbo et quovis ære facias aurum et ex aqua pretiosissimum balsamum, id est, ex vili opere rem Deo gratissimam tibique utilissimam. Ex his recte infertur, quod sequitur.

2. „Non effugiunt notam reprehensionis ii sacerdotes, qui sola ducti consuetudine ad divina accedunt, et jam instante hora aut occasione, aut cum officium, occasio seu vices celebrandi postulant, sine ulla consideratione ad hæc mysteria feruntur.“[1])

Audi etiam Thomam a Jesu: „Animæ, inquit, quæ ex sola consuetudine et sine actuali dispositione ad hoc sacramentum accedunt, quasi nullum ex illo fructum reportant; magnusque est, pro dolor! talium numerus, qui, sicut vix ullum ex hoc cælesti pabulo robur percipiunt, sic facillime in culpas graves labuntur.“[2])

3. „Majore digni sunt reprehensione, qui ad divina se conferunt temporalis lucri causa, sive propter stipendium, quod a Missa sunt accepturi.“[3])

---

[1]) Molina Instr. sacerd. tr. 4. c. 7. § 1. [2]) In meth. disc. prof. spir. cap. 6. [3]) Molina l. sup. cit.

Sed dices, an non licebit his, qui altari deserviunt, de altari vivere? 1 Cor 9. Licet, sed non istuc tamquam in finem principalem ferri debet intentio; hoc enim nefarium esset, et Giezi lepra aut Simonis lapsu dignum.

Sacerdotes præcipue ob lucrum aut commodum suum celebrantes nihilo meliores sunt duobus illis filiis Aaron, Nadad et Abiu, qui obtulerunt Deo sacrificium ex igne alieno, id est profano, cum debuissent adhibere sacrum, qui peculiari cura ad sacrificia et thymiamata fovebatur; et propterea ignis de altari egressus eos devoravit et consumpsit.

Ignis sacer et divino sacrificio deputatus est *caritas,* quæ movere debet ad sacrificandum et communicandum. Ignis alienus et profanus est *cupiditas,* cum anima movetur ex avaritia similique causa; quem ignem non Deus, sed caro vel dæmon suppeditat. Caveant sibi, qui talem ignem sacrificiis adhibent, ne, quos imitantur sacrificio, eorum quoque supplicium mereantur. Sed Bonaventuram audiamus contra hujusmodi sacerdotes terribiliter intonantem.

„Væ, væ, væ Domine Deus, quanti hodie infelices ad sacros ordines accedunt et divina mysteria accipiunt, non cælestem panem, sed terrenum quæren-

tes; non spiritum, sed lucrum; non Dei honorem, sed suam ambitionem; non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum; non Christo servire mundo corde et corpore in sacris ministeriis, sed delitiari, ditari, superbire et luxuriari de patrimonio Christi et de eleemosynis pauperum, ut ecclesiasticas dignitates ambiendo multis litigiis et simoniis potius rapiant, quam assequantur, non vocati a Deo, tamquam Aaron, sed impulsi a diabolo tamquam Dathan et Abiron. Tu autem, homo Dei, dirige vota tua et desideria ad Deum et vide, quibus affectionibus et desideriis trahi debeas ad sacra mysteria celebranda." [1])

4. „Rectitudo intentionis hic necessaria non tantum prohibet, ne propter lucrum, vanam gloriam vel alium finem similem celebres sive communices; verum exigit, ut actuali intentione aliquem finem excelsum, cælestem, divinum quæras et ad rem Deo placitam, proximis utilem, tibi salutarem respicias." [2]) — Idem monet Bonaventura. „Vide, inquit, quid desideres, ne propter avaritiam aut vanam gloriam aut consuetudinem aut alicujus mundanæ complacentiæ, aut tem-

[1]) S. Bonavent. de præp. ad Missam c. 8. [2]) Alvarez de Paz, de vit. rel. l. 1. c. 8. § 2.

poralis favoris causa accedas, sicut multi diebus istis abutuntur ad sui perditionem, quod datum est ad salutem."[1])

Nos aliquot hujusmodi fines in gratiam pii lectoris hic assignabimus.

1. Ut a morbis et infirmitatibus animi sanemur per medicum animarum nostrarum optimum nos in communione visitantem.

2. Ut peccata nostra expiemus; nec enim efficacior victima pro peccatis quam agni immaculati, qui tollit peccata mundi; ipse enim est advocatus noster et propitiatio pro peccatis nostris apud Patrem.

3. Ut a certa tribulatione, angustia vel tentatione liberemur per Christum, per quem salvati et liberati sumus.

4. Ut certam gratiam aut beneficium impetremus per mediatorem, qui a Patre semper exauditur pro reverentia sua.

5. Ut pro acceptis a Deo donis grati simus, cum nihil habeamus præstantius aut gratius offerendum Deo quam dilectum ejus Filium, in quo sibi bene complacuit.

6. Ut Deum et Sanctos honoremus, quia Christus est caput Sanctorum. Quid vero honorificentius Sanctis vel acceptius fieri potest, quam si in ipsorum festis et sacris ædibus offeratur ille, cui se debere

---

[1]) S. Bonavent. de præp. ad Miss. c. 8.

libentes agnoscunt omnem sanctitatem et beatitatem?

7. Ut opitulemur defunctis, cum nihil efficacius pro illis interpellet apud Deum Patrem, nihil melius clamet, quam sanguis Christi effusus in remissionem peccatorum.

8. Optimus vero et primarius finis est, ut Deo uniamur per amorem, convertamur et transformemur in ipsum sicque inseparabiliter ei adhæreamus dicentes cum Propheta:

Mihi adhærere Deo bonum est, et ponere in Deo meo spem meam. Quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram? i. e. quid aliud quæram vel intendam, dum sacris mysteriis operor et fruor, quam placere et adhærere Deo meo? Absit, ut huc vili aliquo aut terreno fine ducar; quin omnia cetera arbitrabor ut stercora, quia hic Christum et Deum ipsum lucrifacio; *Dominus* enim hic est *pars hereditatis meæ et calicis mei;* et ipse est, qui postmodum restituet hereditatem meam mihi. Itaque *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Ecce Domine, hæc mens et intentio mea. *Voluntarie* ergo, non mercenarie *sacrificabo tibi et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.*

Caput 7.

Corporis et animi compositio sub sacrificio.

1. Ex his, quæ hactenus tradita sunt, satis colligi poterat, quanta reverentia, attentione, modestia et gravitate tantum opus peragi necesse sit. Sed numquam satis dicitur, quod numquam satis discitur. Itaque Patres Concilii Tridentini audire juvat.

„Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, *maledictum* eum in sacris litteris vocari, (Jer 48) *qui facit opus Dei negligenter.* Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest, interioris cordis munditia et puritate atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.“ [1])

[1]) Conc. Trid. sess. 22. ante Cap. Reform.

Propterea huic sacræ actioni addidit sancta Ecclesia tam varias cæremonias et orationes, ut tanto majori majestate, religione et reverentia hoc supremum opus perficeretur; quamvis alias tota ratio sacrificii Missæ præcipue consistat in consecratione specierum, et (juxta aliquos[1]) in earum consumptione per communionem sacerdotis.

„Si *maledictus* est homo, inquit Dionysius Carthusianus, *qui facit opus Dei negligenter,* quanto maledictior, qui hoc divinissimum sacramentum, cæleste mysterium facit negligenter, indevote vel irreverenter? plane si non mentitur Apostolus: *Reus erit corporis et sanguinis Domini.* Deinde distinguit triplicem attentionem ex S. Thoma et pergit: Hæc autem triplex devotio ad digne celebrandum exigitur præsertim in Canone et maxime circa consecrationem. Debet enim sacerdos sacratissima verba Canonis distincte proferre, sensum quoque verborum pro toto suo posse advertere atque ad Deum totam suam contemplationem principaliter et amorose dirigere, beneficia ejus recolendo, admirando, laudando et amplectendo, omni expulso phantasmate vano et distractione abjecta. Debet enim

[1]) Vide notam supra pag. 269.

cum metu et reverentia in hora consecrationis et immolationis omnipotenti Patri assistere atque ardenti affectu ac interno sapore beatissima verba effari.“ [1])

Non animi modo, sed et corporis reverentia exhibenda est. Pulchrum ejus rei rationem ex Alvarez de Paz accipe: „Æquum enim est, ut animæ corporisque Creator ab utroque honorem et reverentiam accipiat; æquum etiam, ut, si anima Dei visione satianda est et corpus dotibus gloriosis ornandum, istud et illa Deo glorificatori eorum per reverentiam se subdant. Quin et Christus, qui primus hoc sacrificium sui corporis et sanguinis obtulit, carne simul et mente passus est et utraque portione sui nostram salutem curavit, ut discas tu utraque parte tui, corpore et animo, illi reverentiam exhibere.“ [2])

2. „Quandocumque sacerdos sacrificans ex præscripto Missalis aut libri Ritualis genua flectet, non leviter genibus se incurvet, sed, ut adorantes Deum vivum et verum in spiritu et veritate decet, profundissime usque ad terram sese in genua dimittat et internam animi sui humilitatem ac reverentiam externa hac adoratione Deo omnipotenti sacrificet.“

---

[1]) De expos. Miss. art. 14. [2]) Alvarez de Paz lib. 1. de vit. rel. c. 9. § 2.

„Totum sacrum Missæ canonem aliasque orationes, quæ ob mysterium ac religionem tacite pronuntiandæ sunt, sic pronuntiet, ut ipse quidem distinctum verborum sonum leniter percipiat, adstantium autem proxime nemo percipere distincta verba possit."

„In faciendis vivificæ crucis signis præscriptam a Rituali libro formam exactissime perfectissimeque observent; ne circulos aut quævis alia figmenta potius, quam sacrum crucis signum formare videantur. Ac tum cum omni attentione ac reverentia in rem signatam, Passionem nimirum, mortem ac merita Domini nostri Jesu Christi animum figant; precesque atque actionem suam ad consequendam a cælesti Patre primogeniti benedictionem hoc suavissime olente vestimento ei acceptabiles ac gratas faciant." [1])

Quomodo illæ cæremoniæ exteriores alias mortuæ spiritu animandæ sint, præclare docet Alvarez de Paz, dum inquit, „reverentiam exteriorem custodies, si sacras cæremonias ab Ecclesia institutas pulchre, attente, graviter et cum quadam dignitate perficias; si, cum genuflectis, ita id facias, ut qui Deo submissionem

[1]) Octavius Frangipani, Nunc. Apost. in direct. disc. Eccl. tit. de div. off.

profiteris vel cultum latriæ defers; si, cum hostiam et calicem benedicis, ita signa illa sacra facias, ut qui sacrificium Deo acceptissimum benedicis; si, cum verba Missæ profers, ita distincte et clare proferas, ut qui Deum ipsum alloqueris; si denique ita omnia ibi dicas et facias, ut dignum est voce promi et actione perfici, quæ Dei spiritu sanctam Ecclesiam regente approbata sunt et instituta."[1])

Forte erit, cui otiosa et superflua videatur tam scrupulosa in istis ritibus observantia. Sed hunc ego ad aulas ire jubeo, ut discat esse pius. Vide, inquam, quomodo ibi ad regis aut principis obsequium intenta sit omnis illa aulicorum turba, quam illic scrupulose ritus et cæremoniæ aulicæ observentur.

Sed audi virum religiosum hoc ipsum inculcantem. „Ministri regum, inquit, et principum suas habent urbanitatis leges, quas nefas est præterire: quidni Ecclesia spiritu veritatis edocta illas cæremonias instituat, quibus erga Deum officiosi et urbani simus et ei comiter et decenter serviamus? Si ergo magni momenti esse videtur erga magnates hujus sæculi urbane se habere et in nulla re, quantumvis minima, ad reverentiam eorum spec-

[1]) Alvarez de Paz lib. 1. de vit. rel. c. 9. § 2.

tante deficere, quanti momenti erit summum Deum signis reverentiæ ab ipsomet per Ecclesiam institutis absque ullis defectibus honorare?“ [1])

Si libet alium videre virum non minus religiosum, cui in aula fuisse et hæc, quæ dixi, spectasse profuit, ecce Antonium Molinam Carthusianum. Refert ille sibi contigisse aliquando, ut regem discumbentem videret, et qua veneratione illa nobilium turba regem cingeret, quomodo bibituro e primatibus unus scyphum porrigeret, qui corpus tam profunde inclinabat, ut infra mensam prorepere velle videretur. Fatetur hinc se vehementer compunctum, dum consideraret sic honorari hominem mortalem, qui revera esset non secus ac vermis putredini obnoxius, pari cum ceteris mortalibus conditione miseriis, morbis mortique expositus, et cui vel una levis febricula fatalis futura esset; Deum vero, Regem sæculorum immortalem et in mensa eucharistica vere præsentem tam irreverenter, tam oscitanter, tam torpide et sordide coli ac honorari.[2])

En, quid ab aula proficere liceat pietatis studioso. Sed, ut nunc mores sunt, aulæ ritus et cæremoniæ religiosius et

[1]) Alvarez de Paz l. cit. [2]) Tr. 3. c. 12. § 3.

accuratius observantur, quam altaris et Ecclesiæ. Adde, quod ibi omnia nitent argento, auro gemmisque fulgent omnia; hic sæpius squalore, situ et sordibus horrent universa.

5. „Ad excitandam et conservandam sub Missa attentionem et reverentiam plurimum momenti habet, proponere sibi Deum in regio throno cum summa majestate præsentem, cinctum agminibus Angelorum, qui regi suo trementes assistunt, seque illis admisceri, ut simul cum illis obsequium suum summo regi deferat, et id quidem longe dignius et excellentius omni angelico ministerio.“ [1])

Thronus iste seu tribunal altare est, in quo Deo offers tremenda mysteria. S. Chrysostomus cum contra Anomæos dixisset,[2]) Christum Dominum in Eucharistia quasi judicem pro tribunali sedere, subjungit: „Cogita, quem proxime stas, quibuscum invoces Deum, scilicet cum Cherubim, cum Seraphim, cum omnibus cæli virtutibus; animadverte, quos habeas socios; satis hoc tibi ad sobrietatem, cum recordaris te corpore constantem et carne coagmentatum admitti cum virtutibus incorporeis laudare Dominum omnium.“ —

[1]) Lud. de Pont. tr. 2. c. 11. [2]) Hom. 5 de incompr. Dei natura.

„Non cogitas, ait idem,[1]) quod Angeli huic stupendæ assistunt mensæ cumque reverentia hanc circumvallant.“ — „Per id tempus et Angeli sacerdoti adstant et cælestium potestatum universus ordo clamores excitat et locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abunde licet vel ex tanto illo sacrificio, quod tum peragitur.“[2])

Et poterat seipsum Chrysostomus in exemplum adducere, nisi verecunda humilitas obstitisset. Refert enim S. Nilus[3]) sæpius Chrysostomo visos Angelos, dum sacrificium offerret.

Sed placet hæc ipsa confirmantem audire virum sanctissimum Laurentium Justinianum: „Est enim altare, super quod sacrosanctum Christi corpus immolatur, mons spiritualis sublimis. Quanta autem circa eumdem (maxime tempore, quo sacrificium memoratum conspectui præsentatur Altissimi) sit Angelorum, Archangelorum frequentia, mortalium nemo valet edicere. Lætantur quidem tunc plurimum, si sumentis ac ministrantis mentem agnoverint non hæsitantem in fide neque conscientiæ onere prægravatam, sed eleva-

[1]) Hom. 1. de verb. Isai. [2]) S. Chrysost. de sacerd. lib. 6. c. 3. [3]) Epist. ad Anastas. Episc.

tam in excelsis, humilem in se, ab evagationibus alienam, caritate fervidam, devotione refertam, exorantem pro populo, Deum laudantem, jubilantem in spiritu et suavitate quadam pii amoris super suum innixam dilectum.“

„Ceterum quemadmodum replentur gaudio et pace pro devota celebratione justorum illosque ut suos concives diligunt: ita proculdubio contra eos indignantur, qui sine sui probatione, cum ariditate cordis et mentis dubietate Domini sui audent sacramenta contingere. Equidem a talium se avertunt consortio ipsorumque orationes despiciunt, utpote Deo odibiles ac sibimetipsis contrarios.“[1])

Placet huc adscribere gravissima et sacerdotibus notatu dignissima verba Cardinalis Bellarmini. Nam dum superiora Chrysostomi verba de Angelis, altare et sacerdotem celebrantem stipantibus recitasset, hæc mox subjungit:

„Considerate jam, quam triste et deplorandum sit spectaculum videre sacerdotem divina mysteria peragentem, Angelorum choris undique septum, qui ad ea, quæ ipse operatur et loquitur, stupent ac tremunt et præ admiratione ingentes clamores excitant: et tamen sacerdos in

[1]) S. Laurent. Justin. Serm. de Euchar.

medio positus totus frigidus et quasi stupidus non attendit, quid agat, non intelligit, quid loquatur, et ita properat ad finem, ita signa involvit, ita verba præcipitat, quasi latrones post tergum haberet et satis temporis ad fugiendum non esset; et tamen, ut dixi, non propterea singultum conscientiæ patitur. Sic res sacræ contemnuntur, sic Deus irridetur, sic ridendi materia hæreticis datur. Clamamus in sacramento altaris Christum ipsum esse, et interim nonnulli ita se gerunt, ita ista sacramenta pertractant, quasi nihil minus verum esse putarent et quasi Deum marmoreum vel plumbeum haberemus, qui nihil sentiret, nihil videret, nihil audiret. Sed mihi credite, Deum omnipotentem et vivum habemus, qui non dormit nec irridetur; et omnia videt, omnia audit, omnia notat; et aliquando omnes suas injurias ulciscetur et irrisores suos ipse ridebit, cum eis repentinus venerit interitus." [1])

6. „Exterior illa sacerdotis celebrantis maturitas, reverentia et pia corporis compositio non tantum celebranti utilis et decora est, sed et fideles in Missa præsentes ædificat ac singulari eos pietatis sensu reficit." [2])

[1]) Bellarmin. Conc. 9. Dom. iv. Advent. [2]) Concil. Colon. anno 1536.

Sic et Ludovicus de Ponte in vita P. Alvarez testatur, solitum illum facere sacrum cum tanta modestia ac devotione, ut eam etiam in auditoribus excitaret. Ibidem fatetur nonnemo permotum se ad amplectendum Societatis Jesu institutum, quod patris illius devotionem, modestiam, gravitatem et tantam totius hominis compositionem in sacro Missæ officio, hebdomada sancta celebrato, vidisset.

„At nunc sæpenumero videmus sacratissima mysteria celebrari tam modica gravitate et decore, sine modo, sine cæremonia, pronuntiatione, ut eum, qui id intueatur, dolore concuti necesse sit. Certum quippe est, si gentilem mystam videremus litantem idolis ea celeritate (an levitate dicam), qua plures christiani sacerdotes offerunt Deo æterno Unigenitum crucifixum, quibus non sannis jocisque exciperemus? Et quod lacrimas meretur, si nota ipsis essent sancta, quæ in Missa tam abjecte tractamus, numquid certo nobis illuderent et ipsi?“[1])

Qua majestate magnum illum Basilium sacris mysteriis operari solitum credimus? cum etiam Valens, imperator arianus, templum hostili animo ingressus ac Basilium sacrificio intentum conspicatus, vehemen-

[1]) Molina Procem. ad lib. de Instr. sacerd.

ter terrefactus et tantum non exanimatus sit. Sed verbis Nazianzeni rem istam sane memoratu dignam referre placet.

„Postquam, inquit, intus fuit (Valens Imperator) atque ipsius aures psalmorum cantu non secus ac tonitruo quodam personuerunt, plebisque pelagus vidit omnemque ordinem et concinnitatem, quæ tam in sacrario, quam prope sacrarium erat, angelicam potius quam humanam, atque ipsum quidem (Basilium) ante populum recto corpore stantem, qualem scriptura Samuelem describit[1]) nec corpore nec oculis nec animo, perinde ac si nihil novi contigisset, ullam in partem se moventem, sed Deo, ut ita dicam, et altari affixum, humanum quiddam passus est; atque oculorum vertigine ac tenebris totus impletur. Et paulo post ostendit, illam imperatoris perturbationem initio paucis notatam, tandem, cum rex ad donaria offerenda accessit, omnibus patuisse. Ita enim, inquit, titubare cœpit, ut nisi quispiam ex sacrarii ministris vacillantem supposita manu retinuisset, misere utique et luctuose prolapsurus fuerit.“[2])

7. Instante jam ipso communionis tempore totis viribus et affectibus præpara te in occursum Dei tui. Verba illa: *Do-*

[1]) 1 Rg 7. [2]) Nazian. orat. 20. post med.

mine, non sum dignus cum intimo animi sensu pronuntia, humillime agnoscens indignitatem et vilitatem tuam.

8. Mox, quasi audisses: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei,* novo et ardenti cordis affectu teipsum excita; pande adventanti sponso omnes sinus cordis tui. Omnes tum corporis, tum animi vires, facultates, sensus advoca, ut omnes, velut domestici tui, parati ad congratulationem et obsequium tanti hospitis jam ingressuri præsto sint eumque intimis amoris officiis et reverentiæ signis tecum excipiant.

Nimis indignum foret, sensus tunc alio vagari, intellectum tunc aliis intendere, voluntatem alibi occupari, memoriam aliud agitare, quam quomodo excipiant Deum auctorem suum ipsique famulentur. Huc servient piæ et ignitæ ejaculationes seu aspirationes, non ore quidem, sed mente et internis suspiriis usurpandæ, v. g. *Benedictus, qui venit in nomine Domini. Unde hoc mihi, ut Dominus meus veniat ad me? Benedic anima mea Domino, et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. Dominus meus et Deus meus. Dilectus meus mihi, et ego illi. Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum nec*

dimittam, etc. Hæc et similia, præsertim exercitia fidei, spei, caritatis, resignationis etc. uti immediate ante, sic statim post sumptionem usui erunt.

Caput 8.

Recessus ab altari seu gratiarum actio post Missam.

1. „Peracto sacrosancto Missæ sacrificio, non minori cura, quam ad antecedentem Missæ præparationem requirebatur, quisque in omni silentio ac quiete actionum, locutionum, sensuum ac cogitationum sese contineat, per quartam minimum, aut octavam saltem horæ partem devote secum meditetur et intenta cogitatione perpendat, quid egerit et qua fide, qua devotione, quo fine, quo fructu hoc ipsum peregerit.“[1])

A sumpto cibo medici suadent quietem a negotiis et laboribus; motum, præsertim vehementiorem, damnant, ut noxium concoctioni, et qui cibos crudos expellat e ventriculo. Hinc enim frustratur homo debito fine assumpti cibi et fructu probi nutrimenti. Ita plane post hoc cæleste

[1]) Octav. Frangipani in direct. disc. Eccl. tit. de div. off. n. 85.

epulum quies a distractionibus et negotiis est necessaria, ne cibus ille quasi crudus extrudatur ab anima et nullum vel non satis probum nobis nutrimentum præbeat.

Idem monet Thomas a Kempis his verbis: „Oportet, ut non solum te præpares ad devotionem ante communionem, sed ut etiam sollicite te conserves in ea post sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quam devota præparatio prius. Nam bona postmodum custodia optima iterum est præparatio ad majorem gratiam consequendam. Ex eo valde indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora. Cave ergo a multiloquio; mane in secreto; fruere Deo tuo; ipsum enim habes, quem totus mundus tibi nec dare nec auferre potest.“ [1])

Tobiam utrumque vide. En quam solliciti sunt, quid tam fido duci et amico hospiti (Angelo Raphaëli) grati rependant; sed cum Angelum esse tandem deprehenderent, quem diu hominem putaverant, tanto Dei beneficio velut attoniti illico procidunt in faciem; tres ipsas horas taciti profunda in contemplatione posuerunt. Tu vero non Angelum, sed Angelorum Dominum recepisti, vel potius

[1]) Lib. 4. cap. 12.

ille te recepit et refecit corpore et sanguine suo; et pigebit tantillum temporis recolendo tanto beneficio dare?

2. „Peracto sacrificio, puta dici tibi a Christo, ad cujus mensam assedisti: *Scitis, quid fecerim vobis?* quo vos honore dignatus sim, quali vos cibo, quo potu refecerim?“ Ita B. Joannes Avila, celebris Hispaniæ Ecclesiastes, apud Ludovicum Granatensem in vita ejus: „Utinam scirem, inquit, mi Domine, quid feceris mihi, utinam bilancem haberem minime fallacem, qua rem tantam pro merito librarem; vere fecisti mihi magna, qui potens es. Fecisti me convivam cælestis mensæ tuæ. Certe non fecisti taliter omni nationi. *Neque enim est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.*“[1])

Quid ergo sic propere festinas, o sacerdos, a Missa ad alia negotia, colloquia, frivola subinde nec admodum seria, immemor Dei tui, a quo plus scientiæ, commodi, honoris, felicitatis, delectationis, luminis et auxilii ad res bene gerendas, præsertim hoc ipso tempore, percipere poteras, quam ab omnibus aliis creaturis? Tædione tibi est ejus conversatio

[1]) Ludov. Granat. in vita Avilæ.

et colloquium, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum? Quid, si te invitasset amicus et domo quidem reciperet, sed mox quasi pertæsus consortii te relicto exiret per posticum ad alia colloquia vel negotia, non dignatus te hospitem familiari colloquio, aut ullo benevolentiæ et amoris officio: nonne is merito audiret inhumani et inurbani ingenii homo, nec ullo deinceps amicitiæ commercio vel officio dignus haberetur?

Vide ergo, quid de teipso dicendum, qui Deum invitasti et jam recepisti in domum tuam (qualis vero quantusque hic hospes est?): tu vero, eo vix ingresso, mox subducis te abiens ad colloquia, negotia, studia etc. nec curas cum eo paulisper conversari vel ullum amoris et gratitudinis signum tam liberali et benevolo hospiti ostendere. Quid hoc est, nisi vilipendere hospitem, immo etiam graviter offendere, maxime cum ille veniat ad te, non ut reficiatur a te, sed ut reficiat te. Vide, ne, qui spernis, et ipse spernaris.

3. „Missa peracta plurimum refert nosse uti eo tempore, quo apud nos demoratur Christus, et dulci hospitis, quem excepimus, præsentia frui. Neque enim tempus aliud ad tractanda salutis nostræ negotia opportunius aut magis idoneum, quam

cum nobiscum et intra nos habemus ipsum salutis auctorem.“ [1])

Nosse uti tempore seu occasione, magna putatur sapientia. Ita est; et quidem alias satis attenti sumus, ut non elabatur nobis occasio rei bene gerendæ. Cum lucri alicujus aut commodi nostri opportunitas adest, non facile negligimus. Sed quanto potius id nobis hic curæ erit, ut in tam præsenti occasione procurandæ salutis non simus incurii? Itaque Sapientis monitum audiamus: *Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat.* [2])

Quisnam melior dies, o sacerdos, quam ille, quo Dominus Deus tuus venit ad te, non vacuus aut inanis, sed instructus bonorum thesauris, plenus donis et muneribus, modo teipsum per teporem et somnolentiam non defraudes.

Sanctæ matris Teresiæ illud erat monitum: „Cum certi plane simus, Christum in nobis residere, donec naturalis calor accidentia panis non consumpserit, nulla ratione oblatam occasionem agendi cum Domino intime ac familiariter amittere debemus; quin potius illi nos imis visceribus adhærere et cum eo miscere colloquia diu amiceque, rejecta quacumque

[1]) Rodrig. 2. p., tract. 8. c. 7. [2]) Sir 14, 14.

alia cura ac cogitatione, par est. Nam si eo tempore, quo mortalem agebat vitam, ægri atque languentes a natura et arte destituti contactu tantum vestimentorum ejus recipiebant salutem, nequaquam dubitari potest, quin admiranda supra naturam effecturus sit manens in nobis immortalis, dummodo fides vigeat. Jam si peracta vix communione rustice atque inurbane ab eo recedimus convertimurque ad negotia aut leves etiam occupationes repetimus, haud queri jure possumus, si in virtutum actione et usu parum proficimus."[1])

4. Viva fide Christum Dominum, quem reipsa præsentem habes, ante oculos mentis tuæ constitue. Actus humilitatis, reverentiæ, amoris, gratitudinis ac divinæ laudis exerce.

„Tunc ergo (ait Marchantius) ferventius usurpandæ aspirationes sacræ, orationes jaculatoriæ e cordis fundo prodeuntes, amplexus intimi animæ sponsum complectentis, gratiarum actio cordialis, admiratio cum stupore tantæ bonitatis et divinitatis se tam admirabili amabilique modo communicantis, oblatio pura totius mentis in manus Dei totiusque vitæ ac voluntatis resignatio perfecta, omnium

[1]) Ribera in ejus vita, lib. 4. c. 12.

creaturarum, visibilium et invisibilium, ad Dei laudem invitatio."[1])

Et quidquid potes obsequii, defer summo Regi gloriæ, qui ad te vermem terræ venire dignatus est. Major enim est omni laude nec laudare sufficis. Tres illi pueri apud Danielem, cum in medio ignis viderent se Dei ope servari incolumes, adeo in ejus laudem exarserunt, ut nullam usquam seu in cælo, seu in terra, seu in mari creaturam relinquerent, quam non provocarent ad Deum laudandum, dicentes una voce: *Benedicite, omnia opera Domini, Domino,* etc. Quanto potius id nos faciemus, quippe qui recepimus eum, per quem a morte et æterni ignis incendio salvati et liberati sumus.

5. Offer teipsum totum, quantus es, corpore et anima, cum omnibus viribus in Dei cultum, obsequium et beneplacitum; offer statum quoque sacerdotii, ad quem te, licet indignissimum, vocare dignatus est, tot aliis multo dignioribus præteritis. Age pro eo ceterisque huc collatis donis et beneficiis ex totis cordis visceribus gratias. Propone et promitte serio, his omnibus te ad unius Dei gloriam velle niti et uti, quantum ipsius gratia licuerit. — Et hunc in finem concipe bona pro-

[1]) In Candel. myst.

posita et vota, quibus obstrictus es, renova dicens: placet, Domine, quod promisi, gaudeo de vocatione mea. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam,* quoad vixero; et *nomen Domini* constanter et fiducialiter *invocabo* omnibus diebus vitæ meæ. *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus; pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus,* nempe qui sacro illius ministerio consecrati perseveranter servierunt illi in sanctitate et justitia omnibus diebus vitæ suæ.

6. „Optima et gratissima Deo gratiarum actio: offerre ipsi vice gratitudinis actum aliquem heroicum virtutis tibi magis necessariæ; vel, quod idem est, seriam mortificationem malorum affectuum, et præcipue defectus seu vitii alicujus particularis, quo te nosti sæpius impingere, et impediri in te profectum divini amoris et solidæ virtutis progressum.“[1])

Nam, ut tradit ibidem Rodriguez, aliæ gratiarum actiones consistunt fere in affectuosis considerationibus, quæ licet piæ et bonæ sint, meliora tamen longe sunt opera. Itaque et Joannes Avila, rerum

[1]) Rodrig. 2. p., tr. 8. c. 12.

spiritualium scientissimus, censebat optimam communicantium dispositionem esse bonam et sanctam vitam; si nempe recte vivendi modum in exercendis virtutibus et exstirpandis vitiis intuitu sacræ communionis serio ac diligenter observare studeant. Quorsum enim certis ante et post communionem occupari exercitiis: et nihilominus æque manere tepidum, immortificatum, languidum ac fueras pridem? Totus sacræ communionis fructus est melioris vitæ profectus. Inspice ergo conscientiam tuam et ex vitiis, quæ ibi deprehendis et quibus sæpius offendis, aliquid selige quotidie, quod Christo, qui pro te seipsum dedit in mortem et nunc in cibum, vicissim in sacrificium offeras. V. g., ait Rodriguez, si nimius deliciarum sectator sis, si corporis commoditates studiosius captes, offer Domino propositum, in eo te isto die mortificandi, etc. Hoc modo si communicaremus, ait, singulis vicibus aliqua in re, quantumlibet minuta, nos mortificando et defectum aliquem corrigendo, quantum, Deus bone, anima nostra proficeret!

Hæc potissima et gratissima Deo gratiarum actio, vitæ nostræ emendatio. Quid aliud requirit Deus a nobis, et quid aliud retribuemus ei pro tanto beneficio, illi, inquam, qui bonorum nostrorum non eget,

quam ut corrigamus hoc in moribus nostris, quod ipsi displicet et adversatur ejus in nos amori?

7. „Sacerdos, peracto sacrificio, omne imperfectum suum, omnem animi sui languorem, cæcitatem, malas ac inolitas consuetudines peccandique pericula et necessitates sibi ante oculos suos ponat et cor suum omneque desiderium coram Deo effundat ejusque adjutricem gratiam suppliciter imploret; et virtute ac fervore illius cibi, quo refectus et animatus est, tota voluntate animique contentione vel unum saltem defectum in proximi sacrificii diem expugnandum exstirpandumque suscipiat.

Nam quod sacerdotes multi quotidie aut frequenter sacrificent, pauci autem ex illis proficiant et multi vani omnique solida pietate vacui exsistant, non aliam arbitramur esse causam, quam quod sine ullo timore ac devotione tam sanctum opus aggrediantur et perfunctorie atque ex quadam consuetudine aut necessitate magis, quam ex sincera et viva pietate perficiant; et mox una cum sacris vestibus omnem rei peractæ cogitationem deponant omnemque internam et externam pietatis formam exuant moxque ad negotia et colloquia, immo ad fabulas, ad vana et otiosa effundantur. Quod sane

non facerent, si meditationi sanctæ debito modo aliquamdiu intenti fuissent.“[1])

Caput 9.

Frequens oblatio sacrificii Missæ.

1. „Inter omnia exercitia vitæ spiritualis nullum tam est excellens, divinum, efficax et securum ad summum bonum consequendum et sanctissimam cum Deo unionem impetrandam, quam frequens et pia communio.“[2])

Negari non potest hanc esse dignissimam et altissimam actionem, quam christianus possit præstare in mundo. Nam summa rationalis animæ perfectio est unio hominis cum Deo per caritatem et contemplationem, quod nullibi dignius et perfectius fit quam in usu sacramenti Eucharistiæ, per quam ipsum auctorem gratiæ Deum, qui caritas est, arctissime possidemus.

2. Dæmon infensissimus frequentis communionis hostis est. Hinc ut fructibus ejus nos spoliet, varia impedimenta solet objicere, quibus nos a tam sancto et salutari opere retrahat.

[1]) Octavius Frangipani in direct. discipl. Eccl. tit. de div. off. n. 85. [2]) Lud. Granat. tract. de Euch. 1.

Quare Thomas a Kempis ait: „Inimicus sciens fructum et remedium maximum in sacra communione positum, omni modo et occasione nititur, fideles et devotos, quantum prævalet, retrahere et impedire.“[1])

Ecce malignum Pharaonis ingenium. Populus Israël ad sacrificium Deo immolandum in desertum abire parabat. Non ferens hoc impius Pharao et divino honori invidens has cogitationes molitur exstinguere. Ergo populum operibus luti, laterum, palearum obruit, ut pressura laboris curam divini cultus procul extrudat. Nempe in animo circa lutum et paleas (quid enim aliud sunt aurum, argentum, honores, voluptates et terrena omnia?) nimis occupato pietati et sanctis divinisque cogitationibus vix ullus locus est reliquus.

Sed et hic quoque Holophernis stratagema vide, qui, ut Bethuliam subjugaret, canales, quibus aqua in civitatem derivabatur, abstulit. Ita princeps tenebrarum, ut animas expugnet, canales divinæ gratiæ (inter quos præcipuus hoc sacramentum), per quos Dei in nos gratia et omne adversus hostes robur dimanat, obstruere vel avertere nititur.

---

[1]) Thom. Kemp. l. 4. cap. 10.

3. Signum prædestinationis et nota filiorum Dei est frequens et pia communio; zelus quoque et studium ejus cultum et frequentationem promovendi. Nam gloria et vita beata quid est aliud, quam esse cum Deo et frui in cælis convivio sempiterno? Hinc illa verba: *Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Et: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.*[1])

At hujus convivii figura est Ss. Sacramentum et, ut canit Ecclesia, in eo nobis futuræ gloriæ pignus datur. Quomodo ergo tandem separabitur a Christo, qui nunc gaudet ejus in sacramento præsentis consortio? Quomodo tunc re ipsa fraudabitur, qui nunc pignore tam frequens fruitur? Cyprianus certe affirmat, hujus sacramenti usum in hac vita principium esse divinæ fruitionis, qua postea in æternum potiemur; ac proinde evidens signum damnationis esse, nullo illius affectu et desiderio duci. Nam talis jam in hac vita per propriam voluntatem incipit se a Deo disjungere; unde nec Deus injuriam faciet, si ejusmodi hominem a se in æternum sejungat.

4. Ingens utilitas et necessitas sacramenti Eucharistiæ frequentem ejus usum

[1]) Lc 22, 29 et 14, 15.

et susceptionem omnibus merito commendare debet.

Medicorum dogma est, ubi morbi causæ permanentes sunt, ibi remedia quoque permanentia esse debere. Unde eos, qui immoderato hepatis calore laborant, frigidioribus uti cibis et calidis abstinere perpetuo jubent. At intra nos semper corruptæ naturæ morbus, peccati fomes hæret; hinc in nobis omnis morbi et ipsius mortis origo. At contra hunc morbum in membris nostris late et periculose grassantem remedium certissimum est frequens hujus sacramenti usus, quod ad hoc præcipue ab ipso salutis nostræ medico et auctore fuit institutum.

Sed Ambrosium audiamus. Si, quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo merito semper accipere, quia semper pecco; et quia semper infirmus sum, debeo semper accipere medicinam.[1])

Paucis ista confirmat Thomas a Kempis. „Sancta communio retrahit a malo et confortat in bono. Si modo tam negligens es et tepidus, quando communicas aut celebras: quid fieret, si medelam non sumeres et tam grande juvamen non quæreres?“ [2])

[1]) L. 4. de sacram. c. 6. [2]) Lib. 4. c. 10.

5. Inanis prætextus est, raræ celebrationi indignitatem suam vel debitæ dispositionis et devotionis inopiam vel notabilis profectus defectum prætendere.

Nonne Christus ipse in carne conversans sæpius cum indignis, id est, publicanis et peccatoribus agere dignatus est? per hoc etiam pharisæis invisus et calumniis obnoxius; quorum ille perversam mentem redarguens respondit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Quin, *non veni,* ait, *vocare justos, sed peccatores;* et iterum: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis* . . . O Domine, ecce et nos peccatores sumus, et tamen ad te venire audeamus, immo te manducaturi accedimus, quia nos tam amanter et verbis dulcissimis invitas.

Joannes Gerson, auctor sane gravis, sic ait: „Qui propterea ad hoc sacramentum non accedit, quia tepidus est ac frigidus, similis est ei, qui diceret, ad ignem non accedo, quia frigidus sum; medicum non requiro, quia infirmus sum. Sacramenta medicinæ sunt, etiamsi infirmus sis, accede; Christus ignis est, etiamsi frigidus sis, dummodo in mortali peccato non sis, accede. Nam sæpe accedit homo ad Eucharistiam frigidus et indevotus,

et post illam fervidus et calescens invenitur.[1])

Porro, ut paucis et perspicuis verbis explicetur, quæ sit dignitas ad susceptionem sacramenti requisita, sciendum, dupliciter posse hic considerari dignitatem. Uno modo cum proportione ad dignitatem ejus, qui recipitur, et ad hanc parandam nulla diligentia, nec humana nec angelica, sufficit; quid enim est homo aut ulla creatura, ut cum Deo comparetur? aut quæ proportio finiti ad infinitum? unde nec ista requiritur. Secundo cum proportione ad vires et infirmitatem suscipientis; eaque rursum duplex est. *Una,* ut faciat quis, quantum potest, curando in se ornatum virtutum, reverentiæ, devotionis, etc. Sicuti pauper subditus regem suscipere quidem pro dignitate regia nequit, si tamen faciat, quod potest et quantum a suæ conditionis hominibus præstari ullo modo in tali casu posset, digne regem suscepisse censebitur. Et hac quidem ratione pauci digne Christum recipiunt; rari enim sunt, qui exserant ultimum potentiæ. *Altera* itaque dignitas est, ut habeat saltem conscientiam ab omni mortali peccato liberam cum bona voluntate et desiderio proficiendi. Et hæc

[1]) De Præpar. ad Missam.

est omnino necessaria; quamvis in hac acquiescere non debeat pius animus, sed ad secundam eniti, in qua, quo magis profecerit, eo dignior erit.

Quoad effectus hujus sacramenti sciendum est, eos non minus occultos, quam mirabiles esse, ut homo vix eos advertat. Augetur sæpe gratia, sed augmentum non facile cadit sub oculos. Æmulatur enim gratia naturam et pedetentim leniterque operatur; sic plantas crescere quidem non videmus, sed tandem advertimus crevisse; nos ipsos augeri statura non deprehendimus, auctos tamen esse videmus. Sic quamvis profectum in ipsa Missæ celebratione statim non sentiamus, suo tamen tempore sentiemus.

Quid quod profectus quoque censeri debet non solum progredi, sed etiam non regredi, vel non graviter labi; sicut non minoris fit medicina morbum arcens, quam sanitatem promovens. Unde si crebro celebrans videas te multo tempore lethalis culpæ expertem vivere, jam non parum profecisti, qui vitam animæ tamdiu conservasti.

Quod si etiam sæpe celebrans subinde cespitas, cogita, quoties et quam graviter caderes, si prorsus abstineres aut rarius accederes ad altare.

6. Frequens celebratio iis plerumque odiosa est, qui illam sibi putant esse fre-

num licentiæ et dissolutioris vitæ maluntque perniciosa libertate frui, id est, mundo et carni servire quam Deo, et pluris faciunt præsentium rerum vitrum, quam æternorum bonorum margaritum.

At o miseri! Dei servitus vera libertas est, Deo servire regnare est; Christi jugum suave est, at durissima est servitus vitiorum; infelices nimium, qui hoc non sentiunt et sub sentibus delicias esse computant. Eosdem pungit Thomas a Kempis: Pro dolor, quidam tepidi et dissoluti moras confitendi libenter arripiunt et communionem sacram vel celebrationem idcirco differre cupiunt, ne ad majorem sui custodiam se dare teneantur.

7. Frequens communio non parit contemptum nec minuit reverentiam, sed potius auget. Hoc multis paradoxon videbitur; nescio enim, quæ multorum mentes præjudicata opinio teneat, quasi, quod vulgo dicitur: *familiaritas parit contemptum,* etiam hic locum habeat. At negamus habere.

Esto sit hoc inter homines, qui, cum variis defectibus obnoxii sint, in solitudine quidem facile tegunt et abscondunt suas morum labes; at vix ita cautum ac providum reperies, cujus nævos et vitia non prodat familiaritas convictusque frequentior. Hinc fit, ut paulatim concepta

de ipsis opinio decrescat; adeoque ex familiaritate nascatur contemptus, bonæ matris mala soboles.

Jam vero secus in Deo sese res habet, cujus cum sint infinitæ perfectiones, nos eas nostræ mentis angustia comprehendere nequimus, per contemplationem tamen et hujus sacramenti usum propius ad illarum cognitionem accedimus. Unde quo frequentius versamur cum Christo, eo plures in ipso potentiæ, sapientiæ, bonitatis ac misericordiæ thesauros ac beneficia nobis per ipsum collata cognoscimus; proindeque tantum hinc abest periculum contemptus, ut frequentior accessus nos altius provehat in hoc immensum divinæ perfectionis et excellentiæ pelagus et sic in Dei amorem, cultum, devotionem, timorem magis magisque rapiamur.

8. „Cum oblatio sacrificii sit primaria functio sacerdotii, in eam prima sacerdotum cura debet incumbere. Unde monentur, ita immunes se conservare a peccatis, ut quotidie apti sint sacrificio offerendo. Neque digni sunt nomine et honore sacerdotii, qui perraro divinum offerunt sacrificium.“[1])

Quam opificum quisque artem didicit, in hac se indies exercet, idque tam in-

[1]) Marchantius in virga Aaron. tr. 3. lect. 10.

dustrie et impigre, ut ferias oderit et, nisi certis diebus (festivis) Ecclesiæ præcepto cautum esset, vix ullum sibi sinerent effluere vacuum laboris et lucri diem.

Et cur piget, ne dicam, pudet nos, qui artem omnium dignissimam et utilissimam didicimus, in ejus exercitio quotidie occupari? Et illi quidem nonnisi terrenum lucrantur panem, nos autem cælestem et divinum; illi domui suæ et liberis suis, nos toti Ecclesiæ, triumphanti quidem gaudium et honorem, militanti commodum et opem præstamus.

S. Ambrosius illa verba orationis Dominicæ: *Panem nostrum quotidianum* sic explicat: „Iste panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit, panis quotidianus est. Accipe ergo quotidie, quod quotidie tibi prosit; sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui quotidie non meretur accipere, non merebitur post annum.“[1])

Nomen et officium sacerdotis haud merentur, aut certe utrumque male tuentur, qui immemores tam amplæ potestatis suæ et ingrati gratiæ sibi collatæ ea non curant frequentius uti, utpote qua tam eximium Deo cultum, Sanctis honorem, proximis opem, defunctis solamen, peccato-

[1]) S. Ambros. de sacram. l. 5. cap. 4.

ribus remedium, sibi ipsis ingentem fructum adferre poterant; omnes vero simul defraudant, quoties, non legitime impediti, sacrificium offerre negligunt. Sed libet his alium admovere stimulum ex verbis notatu dignissimis, quæ ex Beda Venerabili refert Bonaventura. Et certe penitius inspecta aculeo suo pungent animum sacerdotis, nisi qui forte Dei suique negligens ad monita pietatis obduruit.

„Cum sacerdos est absque peccato mortali et in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, et non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit: tunc, quantum in ipso est, privat sanctam Trinitatem laude et gloria, Angelos lætitia, in purgatorio exsistentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio et seipsum medicina ac remedio contra quotidiana peccata et infirmitates.“[1])

Jam vide, quisquis es sacerdos, quam belle tuearis nomen et honorem tuum, qui tam leviter tot tantisque bonis te et universam Ecclesiam defraudas. Memento ergo unctionis et functionis tuæ et vide, ad quid consecratus sis; nam oleum unctionis sacræ est super caput tuum, ut sacerdotio fungaris Domino Deo tuo et lau-

[1]) S. Bonav. de præp. ad Miss. c. 5.

dem habeas in nomine ipsius, auditurus aliquando: *Euge, serve bone et fidelis.* Nempe gratia Dei es id, quod es; sed vide, ne gratia ejus in te vacua sit; veniens enim cum usuris eam repetet.

9. Qui in sublimioribus et gravioribus Ecclesiæ dignitatibus, muneribus et officiis ad aliorum regimen et animarum curam constituti sunt, item qui pluribus et pinguioribus Ecclesiæ beneficiis dotati, hos præ ceteris frequentius sacris altaribus assistere et Deo sacrificium offerre par est.

Magis quippe illi divino lumine et gratiæ cælestis influxu indigent, ut debite et fructuose munere suo fungi valeant. Nam cibo omnes quidem opus habent, ii tamen pleniore et crebriore, qui graviores labores tolerant, velut operarii, agricolæ, etc. Sic ille cibus animæ omnibus quidem necessarius est, iis tamen potissimum, qui tam gravibus in Ecclesia laboribus distinentur, ut magno egeant robore virium, ni deficere et succumbere velint.

At unde melius petent, quam ex pane illo cælesti, qui confirmat cor hominis. Nempe vesci debent cibo fortium, qui vocati sunt ad opera fortium. Imitentur ergo Moysen, qui in rebus dubiis et arduis recurrere solitus est ad tabernacu-

lum et consulere Dominum; imitentur et B. Job, qui paterna cura et caritate pro filiorum salute sollicitus, hostias Deo semper immolabat. Sic, inquam, ipsos, utpote patres spirituales, sollicitos esse par est pro filiis eosque in visceribus gerere ac pro eorum salute hostiam illam propitiationis quotidie immolare. Illorum est, vota precesque æterno et vivo Deo offerre pro redemptione animarum, pro spe salutis et incolumitatis suorum, miserias orphanorum, inopiam debilium, vota virginum, lamenta viduarum, necessitates et pericula omnium Deo præsentare; sunt quippe velut mediatores inter Deum et populum. *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.*[1])

Exempla sanctorum Ecclesiæ præsulum et prælatorum hic adferri possent, sed non permittit operis brevitas. Unum ergo sufficiat. Ferdinandus de Talavera, primus Archiepiscopus Granatensis in aula regia gravissimis pro salute reipublicæ negotiis distentus et nihilominus quotidie ad altare sacram Deo victimam immolare solitus erat. Hic aliquando intellexit ex Consalvo Mendoza, Cardinali et Archiepiscopo Toletano, se ob quoti-

[1]) Hbr 5, 1.

dianum altaris accessum multorum peti calumniis, nempe quod tot negotiis tantisque curis pene obrutus quotidie nihilominus aris assisteret; respondit autem, ut decebat pium præsulem, cordate et graviter: quam merito mihi hoc vitio detur, viderint æmuli; ego expertus novi, me tot tantisque negotiis nequaquam sufficere, nisi ope et gratia divina fulciar; at ubi eam certius et efficacius, quam in sacrosancta Eucharistia quæram, ubi ipsum omnis gratiæ et sapientiæ fontem reperio?

10. Piorum et Deum timentium sacerdotum est, sic nosse occupari et negotia moderari, ut præcipua magisque necessaria negotia non impediant. Non juberis otiosus esse et cessare a negotiis, sed discrimen negotiorum nosse et delectum habere. Non trade te negotiis, sed commoda; potioribus potiora studia, tempora et loca tribue; videbis, quam ad multa sufficias. Si negligis hoc monitum, vide, ne te quoque, mi sacerdos, quisquis es, tangat, immo damnet parabola Evangelii de invitatis ad cenam, sed negotiorum prætextu se excusantibus.

Ratione aliqua se tueri et excusare laici possent, sed nulla sacerdotes. Poterit dicere sæcularis: uxorem duxi, familiæ mihi cura incumbit, nequeo toties me expedire

negotiis et præparare communioni. Alius dicet: operarius sum et laborem manuum mearum manducare debeo, non vacat toties a laboribus feriari, quia de victu mihi prospectum non est. Mercator aliquis ex tot negotiis et animi curis excusationem quæret et forte aliquam inveniet. At sacerdoti quid horum suffragari poterit ad legitimam excusationem?

Qui, inquam, causari potes negotia, o sacerdos? Hoc tuum negotium est: servire et sacrificare Deo. Quid ergo turbaris erga plurima? Unum istud cura, cui te consecrasti, ordinem sacerdotii suscipiens, et per hoc unice deputatus divino cultui, altaris ministerio, sacrorum Dei mysteriorum dispensationi. Sacerdos es, ut sacra des: Deo quidem sacri cultus obsequia, hominibus salutis subsidia. Cetera omnia tibi aliena sunt, nisi quatenus huic fini serviunt; ideoque *militans Deo* juberis *non implicari negotiis sæcularibus,* ut unum tuum negotium impleas.

Sic ergo nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.[1])

Quicumque defuerit negotio suo, intentus interim fuerit alieno, aut plane de-

[1]) 1 Cor 4, 1. 2.

ditus otio, videat, quem lacessat injuria, cujus irritetur offensa, cujus timenda vindicta. Nonne illius, qui veniet positurus rationem cum servis suis, postquam talenta singulis ad negotium distribuit? Et servum quidem fidelem ac industrium præconio ac præmio gratulabundus excipiet, ignavum vero ac otiosum gravi supplicio iratus afficiet.

Verum, esto, demus aliquid negotiosis et occupatis. Sed an tu occupatior Ambrosio, qui (teste Paulino in vita), „palam omnibus eum alloqui cupientibus propositus erat? Nullus ingredi a janitoribus vetebatur, immo nec adventum alicujus sibi voluit nuntiari, omnes ad se venientes benigne excipere uniuscujusque audire negotia, commodis et opportunitatibus omnium inservire, singulorum levare molestias et perferre miserias et infirmitates consuevit.“ [1]) Porro hic sanctus præsul tam occupatus in id unum nihilominus incumbebat, ut ait Baronius, „ut, quas optimi sacerdotis partes et officia esse intelligebat, quam diligentissime præstaret. Quod vero potissimum erat, sacrosanctum Missæ sacrificium quotidie offerebat, idque non præpropere, sed summa diligentia adhibita, magna cum

[1]) Baron. in vita S. Ambr. quæ operibus præfixa est.

animi præparatione et præmeditatione sancti mysterii, quemadmodum declarant precationes illæ sacræ spirituali dulcedine plenissimæ, quas ob eam causam sibi ad quotidianum usum conscripsit."

An tu quoque occupatior Carolo Borromæo, pallii et spiritus ejus herede ac ejusdem Mediolanensis cathedræ successore? Nullum ille pastoralis officii munus prætermisit. Catechizando, contionando, visitando, sacramenta sanis et infirmis administrando indesinenter agebat partes fidelis episcopi. Amplissimam habebat diœcesin, et initio satis rudem et incultam; sed ostendit ipse, quid in pio pastore possit zelus et industria. Nam assiduus ipse et indefessus in specula et cura sui gregis hoc effecit, ut diœcesis illa terrestris quidam paradisus videretur et efflorescens populi pietas et cleri disciplina sedulam pastoris sui curam et culturam omnibus testatam faceret. Et ille tamen singulis etiam diebus rem divinam faciebat, idque non perfunctorie, sed intima cordis compunctione et sæpe cum lacrimis.

S. Laurentius Justinianus, Patriarcha Venetus, a quo die factus est sacerdos, non intermisit celebrare Missam, nisi ob valetudinem. Et solebat dicere, qui, cum posset Domino suo frui, non frueretur,

facile ostendere se Domini sui curam non habere. [1])

11. „In communione et celebratione ita laudamus frequentiam, ut simul requiramus reverentiam, et amorem una cum timore jungi velimus. Melior tamen et utilior statuique nostro congruentior est affectus amoris quam timoris præstatque ex illo accedere, quam per hunc abstinere. [2])

Laudatur Zachæus, qui festinans et gaudens Dominum suscepit in domum suam. Laudatur quoque centurio, qui propriæ infirmitatis conscius, non est ausus Dominum admittere dicens: Domine non sum dignus; ibi amor, hic timor prævaluit. Unum tamen est, ait Bonaventura, quod omnibus tutum videtur, ut scilicet ex reverentia timentes spem et desiderium non relinquamus et ut ex spe et fiducia non amittamus timorem et reverentiam, sed semper inter hæc utraque confidentes et timidi fluctuemus. Simpliciter tamen loquendo, dubium non est, quin melior sit affectus amoris, quam timoris. [3])

De utriusque affectus commixtione et quasi concertatione pulchre agit Thomas

---

[1]) Surius 8. Jan. [2]) S. Thom. 3. p. q. 80. art. 10. [3]) S. Bonav. in fasc. c. 5.

a Kempis;[1]) sed Gerson suavissime, ut sequitur:

„Interrogo me, inquit, si dignus sim accedere ad Dominum, si sufficienter præparatus; hæsito primum, tremisco, reformido; tandem sic respondeo mihi ipsi: interim quantum in me est, nihil Deo propitio mihi conscius sum super peccato mortali aut peccandi proposito; peccata autem venialia, etiam non confessa, nequaquam obsistunt. Scio, quod *apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio,* quod pietatis ejus fontem nulla potest nostra iniquitas evincere vel siccare, quod, si decreverit salvare, nemo est, qui condemnet. Ipse præcepit, ut sperem in eo et me totum in suas manus projiciam; obedio, ut possum; non est crudelis aut mendax, venientem ad se non ejiciet, provolutum suis pedibus non indignanter abjicit, sed præveniet me in benedictionibus dulcedinis, dum mihi displiceo.“

„O anima mea! fornicata es cum amatoribus multis, pius sponsus jubet per os propheticum, ut revertaris, modo etiam te suscipiet; si millies abscesseris, contempseris, irriseris, te venientem non repudiabit, pœnitentem non aspernabitur.

[1]) Lib. 4. de imit. cap. 1.

Si quis ex hominibus talia diceret, crederes, confideres et accederes; Deus ipse hoc dicit, Deus hoc pollicetur, immo Deus hoc imperat, et tu diffidens non accedes? Igitur in sua veritate, non in tua vanitate confidens, voluntarie illi sacrifica.“

„Immunda es? accede mundanda ad fontem puritatis incontaminabilem. Esuris? accede pascenda ad panem vivificum et indefectibilem. Ægrotas? erit hoc tuæ infirmitatis efficacissimum remedium. Fluxum sanguinis pateris nec sanari potes a medicis, hoc est, a tuis exercitiis? tange plena fide cum muliere hæmorrhoissa fimbriam vestimenti Jesu, sacrosanctam videlicet hostiam, et statim sanaberis. Si percussam te sentis a serpentibus perversarum tentationum, quid restat, nisi ut serpentem (Christum) elevatum inspicias?“

„Si dicis cum propheta: *Quoniam unicus et pauper sum ego,* particeps esto sacrosancti hujus mysterii, habebis Christum comitem fidum et hospitem ditissimum. Cæcam fortassis, debilem et claudam te conquereris? memineris, quoniam tales ad cenam magni regis non solum invitantur, sed etiam trahuntur et intrare compelluntur. Lubrica sum, inquis, et instabilis, ecce hic panis cor hominis confirmat. Tristis es et anxia? ecce vinum,

quod lætificat cor hominis; inquietant te et turbant plurima? adhære ei, qui tumentes fluctus sedat, qui est pax nostra, ipse enim ait: in mundo quidem pressuram, in me autem pacem habebitis. Peregrinaris a Domino? *in fortitudine cibi illius ambulabis usque ad montem Dei.*"

„Quid ergo tandem formidas? quid expavescis, o anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo et confitere illi, quoniam ipse est salutare tuum. Suspirabunda forte quæris, ubi est Deus tuus? in hoc certe convivio, *in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.*"[1])

Caput 10.

Effectus sacrificii Missæ.

1. „Post communionem, si non sentis aliquam spiritualem refectionem, signum est spiritualis infirmitatis vel mortis. Ignem posuisti in sinu, et non sentis calorem, mel in ore, et non sentis dulcedinem."[2])

Itaque effectus sacræ communionis breviter indicabimus, ut suum quisque pro-

[1]) Gerson. de præp. ad Miss. cons. 9. [2]) S. Bonav. de præp. ad Miss. cap. 14.

fectum his inspectis melius possit discutere.

„Divinum hoc sacramentum dimittit peccata præterita et a futuris præservat, passiones refrenat, tentationes minuit, ardorem concupiscentiæ reprimit, devotionem excitat, fidem illuminat, confirmat spem, accendit caritatem, corroborat nostram debilitatem, restaurat vires, exhilarat conscientiam, facit hominem participem omnium meritorum Christi, unit eum cum Deo, denique arrham dat æternæ vitæ.“[1])

Unde Chrysostomus[2]) ait, „nos ab hac mensa recedere tamquam leones ignem spirantes, terribiles diabolo effectos.“

„Si quis vestrum, inquit S. Bernardus, non tam sæpe modo nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, invidiæ, luxuriæ aut ceterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo.“

„Duo enim præcipue operatur in nobis: et sensum minuit in minimis et in gravioribus peccatis impedit omnino consensum. Qui vulnus habet, medicinam requirit; vulnus habemus, dum sub peccato sumus; medicina optima est sacra-

[1]) Ludov. Gran. Memor. lib. 3. c. 4. [2]) Hom. 61. ad pop. et 45. in Joann.

mentum. Quotidie accipe, quotidie curaberis.“ [1])

Non vacat singula latius persequi. Unum restare video quæstione dignum et sacerdotibus considerandum. Cum tam multi et mirabiles sint sacræ communionis effectus, cur tam pauci et tenues vel nulli apparent in plurimis communicantium vel toties celebrantium?

Nonne ex theologiæ doctrina constat, sacramenta, quotiescumque legitime recipiuntur, novum semper gratiæ et caritatis augmentum producere? Ubi est ergo in multis sacerdotibus toties et pæne quotidie celebrantibus profectus virtutis, caritatis, humilitatis, patientiæ, abstinentiæ? ubi ille meritorum cumulus? ubi illa copiosa messis, quæ tam largæ sementi respondeat? ubi illa opum abundantia, quæ tam quæstuosæ negotiationi par sit? ubi illa saturitas et corroboratio virium, quæ a tam excellenti cibo præstari debuit? ubi illa inebriatio spiritus, quæ vinum tam generosum et nobile decuit?

O quam multi seminant multum et inferunt parum, comedunt et non saturantur, cooperiunt se et non calefiunt, et quidquid opum colligunt, mittunt in sacculum pertusum.

---

[1]) S. Bernard. Serm. in Cena Dom.

Ponite ergo, o sacerdotes, corda vestra super vias vestras et videte, ne toties in vacuum gratiam Dei, immo ipsum gratiæ auctorem, Deum recipiatis.

2. „Causa, cur hoc sacramentum nullos vel exiguos operetur effectus, est debitæ dispositionis in recipiente defectus, præsertim in expurganda conscientia non solum a peccatis mortiferis, sed et culpis venialibus et quibuslibet affectibus inordinatis ad res terrenas seu carnis illecebras et delectationes.“ [1])

Constat ex philosophorum sententia, causas operari secundum objecti dispositionem. Unde sicut sol, aër et aqua plantas, dum adhuc vivas in terra radices habent, virides ac floridas reddunt, at evulsa et emortua radice, eædem causæ illas magis exsiccant et putrefaciunt: sic sanctissimum Sacramentum animas vivas et per caritatem in Deo radicatas crescere magis ac florere facit; at vero animæ corrupta caritatis radice mortuæ magis per illud exsiccantur et fiunt quotidie seipsis pejores.

Cibus corporeus sana corpora probe nutrit, auget magisque corroborat; at corpora impura, quo magis nutrit, eo magis lædit, unde talibus tenuis victus et exacta

[1]) Lud. Granat. Memor. lib. 3. c. 2.

diæta præscribi solet. Nam repletione humorum laborantibus etiam salutares cibi nihil proficiunt, sed potius stomachi vitium augent. Ita hic cibus, quem peccatis gravatum invenit, adeo non corroborat, ut magis corrumpat, non sui natura, sed accipientis vitio.

„Specialiter vero obstaculum gustui hujus sacramenti ponunt, qui conversi ad hominum sæcularium commercia, risibus, nugis, vanitatibus et inutilibus negotiis vacant. Omnia enim hæc male præparant lectum cælestis illius sponsi. Amor Dei res est nobilissima ac delicatissima, non admittit corrivalem, sed solus integram cordis humani possessionem postulat.“ [1])

„Nempe delicata est consolatio divina, ait Bernardus, nec datur admittentibus alienam. Et iterum: Præoccupatum sæcularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vera vanis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias, quæ sursum sunt et quæ super terram.“ [2])

Sed audiamus Cardinalem Bellarminum graviter sacerdotes ex frequentatione Ss. mysterii tam parum proficientes admirantem et deplorantem:

[1]) Lud. Granat. Mem. lib. 3. c. 11. [2]) Serm. 6. de Ascens.

„Undenam fieri censetis, ut, qui cælestia sacramenta frequentant, adhuc tamen sæpe frigidi, torpentes, infirmi et imbecilles maneant? Certe Dominus, quem in sacramento illo vere suscipimus, ignis consumens est, lux mundi est, cibus exquisitissimus est. *Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus.*"

„Cur igitur, qui ignem tam frequenter sumimus, non ardemus? cur alios non inflammamus? cur verba nostra scintillæ ignis non sunt? cur, qui lucem ipsam accipimus, non fulgemus? cur orbem totum non illustramus? cur vita, mores et opera nostra radii quidam lucis non sunt? cur, qui cibo tam exquisito vescimur et ex ipso frumenti adipe satiamur, non pinguescimus, non roboramur?"

Non alia profecto hujus rei causa est, quam quod non diligenter antea pedes nostros abluimus neque vulnera peccatorum summo studio et sollicitudine, ut par esset, curamus. Ad confessionem accedimus quidem, sed sine dolore, sine proposito emendationis, medicorum consiliis non acquiescimus, peccandi occasiones non evitamus. Et quid illa confessio? Quid prodest ægro, quod peritissimus medicus illum invisat et pharmacum saluberrimum sumendum et a certis rebus abstinendum admoneat, si nihil eo-

rum postea æger faciat et consilio suo, non medicorum, vivat?[1])

3. „Defectus præparationis, quæ consistit in procuranda actuali devotione, inter præcipuas causas censeri debet, cur hoc sacramentum debitis suis effectibus careat.“[2])

Testantur medici, cibum bene masticatum in ore, dentibus probe contritum et palato suaviorem esse et minus negotii facessere ventriculo, utpote jam chylo simillimum, adeoque facilius concoqui et melius alere corpus. Ita quoque cibus eucharisticus, cum dente considerationis masticatur, gratior fit et utilior; at qui illum non probe masticatum ingluvie quadam in stomachum debilem et languidum trajiciunt, illius et gustu fraudantur et fructu.

4. „Incuria debitæ intentionis, exigui profectus ex hoc sacramento non minima causa est.“[3])

Non mirum, si scopum non feriat, qui istuc non collimat, sed in aërem potius vel in incertum jacit sagittam. Ita nec mirandum, si fructus hujus sacramenti non percipiat, qui hoc fine non accedit. Cave sacerdos, ne obiter et quasi aliud

[1]) Bellarmin. conc. 18. [2]) Lud. Granat. Memor. l. 3. cap. 4. [3]) Idem, cap. 6.

agens huc venias, ne sis quasi currens in incertum vel aërem verberans.

In uno manna olim sapor erat varius pro cujusque palato et desiderio. Ita etiam Eucharistia saporem dabit, quem quærimus. At si non quærimus inde proficere, corroborari contra tentationes, Christo uniri etc., quid mirum, si nihil eorum percipimus?

Sed libet pii et religiosi viri verbis uti, ut nostros ipsi nævos et defectus proprios videamus. Nam sacerdotes circa præcedentia incurios ita perstringit.[1])

„In quo nonnullorum sacerdotum valde reprehendenda est audacia, qui nihil horum facientes, quocumque loco sunt, surgunt et ad altare accedunt fabulantes, ridentes, occupati sæcularibusque negotiis distracti, ita ut, qua securitate atque incuria eunt ad comedendum panem materialem, eadem accedant ad mensam Domini, ut sumant panem Angelorum, quæ sane valde magna abominatio est.“

„Atque hæc est causa, cur post tot annos, quibus hac medicina utuntur, tam parum ipsius usu adjuti esse deprehenduntur; alioquin, si quoties Missam celebrarunt, recepissent notabile aliquod gratiæ augmentum, certum est, quod, qui

[1]) Idem in Memor. lib. 3. c. 5.

viginti annis celebrarunt, ingentem gratiarum thesaurum jam collegissent, quod sane sic se habere non existimo, cum iidem sint, qui antea fuerunt, æque sensuales et indevoti, immo nonnumquam facti pejores.“

„Quid igitur formidandum magis est, quam quotidie fontem gratiarum et mensam Angelorum accedere, quotidie officinam omnis medicinæ adire, et post tot annos æque sitibundum, famelicum, debilem et infirmum inveniri?“

* * *

Crebriores in hoc libro similitudines ex medicina petitas adduximus, ne mirere. Est Ss. Patribus hoc perquam familiare. Sed et similitudo ac analogia corporalis et hujus spiritualis seu cibi seu medicinæ idem suasit. Denique memento, nos Aphorismos scribere, qui, nescio quid, medicum spirant ac redolent.

APPENDIX III.

PRECES ANTE ET POST MISSAM.

Præparatio ad Missam.

Antiphona. Ne reminiscaris, * Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Quæ Antiphona in Festis duplicibus tantum duplicatur. Tempore Paschali additur in fine Alleluja.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea * exsultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrimarum in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam: * auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster, aspice, Deus: * et respice in faciem Christi tui:

Quia melior est dies una in atriis tuis, * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. — Gloria Patri.

Psalmus 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam: * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: * avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos, Deus, salutaris noster: * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis? * aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: * et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: * et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: * et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, et veritas obviaverunt sibi: * justitia, et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: * et justitia de cælo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: * et ponet in via gressus suos. — Gloria Patri.

Psalmus 85.

Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me: * quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: * lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis, et mitis: * et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: * et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: * quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: * et non est secundum opera tua.

Omnes Gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine: * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: * tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: * lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine, Deus meus, in toto corde meo, * et glorificabo nomen tuum in æternum:

Quia misericordia tua magna est super me: * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam: * et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine, Deus miserator et misericors, * patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Respice in me, et miserere mei, * da imperium tuum puero tuo: * et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: * quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me. — Gloria Patri.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: * pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus:

O Domine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem. — Gloria Patri.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: * Domine, exaudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendentes, * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine: * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: * speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, * ex omnibus iniquitatibus ejus. — Gloria Patri.

Deinde repetitur Antiphona: Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum

nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Postea Sacerdos dicit: Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster, *etc.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi, Domine, miserere mei. ℟. Sana animam meam: quia peccavi tibi.

℣. Convertere, Domine, aliquantulum. ℟. Et deprecare super servos tuos.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam. ℟. Et sancti tui exsultent.

℣. Ab occultis meis munda me, Domine. ℟. Et ab alienis parce servo tuo.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia Sancti Spiritus illumina cor nostrum; ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus Sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos, qui post antecedentes Psalmos, Antiphonam, Versiculos et Orationes recitat, die designata, unam ex sequentibus septem Orationibus S. Ambrosii Episc., lucratur Indulgentiam unius anni. (Leo XIII. 20. Dec. 1884.)

Orationes S. Ambrosii Episcopi.

Die Dominica.

Summe Sacerdos, et vere Pontifex Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara Crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis Carnem tuam ad manducandum et Sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus Sancti tui, dicens: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei*

memoriam facietis: rogo per eumdem Sanguinem tuum, magnum salutis nostræ pretium, rogo per hanc miram et ineffabilem caritatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo: doce me servum tuum indignum, quem inter cetera dona tua, etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ; doce me, quæso, per Spiritum Sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet.

Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et expedit animæ meæ. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, et per manum sancti Angeli tui repelle a me, et a cunctis servis tuis, durissimum superbiæ et cenodoxiæ, invidiæ et blasphemiæ, fornicationis et immunditiæ, dubietatis et diffidentiæ spiritum. Confundantur, qui nos persequuntur, pereant illi, qui nos perdere festinant.

Feria II.

Rex virginum, et amator castitatis et integritatis, cælesti rore benedictionis tuæ exstingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animæ. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum ceteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione et lacrimarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animæ puritate istud divinum et cæleste sacrificium est celebrandum, ubi Caro tua in veritate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis junguntur, ubi adest sanctorum Angelorum præsentia, ubi tu es Sacrificium et Sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus!

Feria III.

Quis digne hoc mysterium celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, Domine, et vere scio, et idipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas. Sed scio, et veraciter ex toto corde meo credo, et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus justos et sanctos.

Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate et lacrimarum fonte, cum lætitia spirituali et cælesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, et excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria IV.

Ego enim, Domine, memor venerandæ Passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, et offerri præcepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quæso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, et pro populo, quem acquisivisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eumdem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum, eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse et redemptio. Profero etiam, Domine, (si digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria V.

Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia, quia tu Pater noster es,

quia tu Deus noster es, ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras, et ignem Sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem, aspicere digneris; et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire, et exaudire delecteris.

Feria VI.

Rogamus etiam te, Domine sancte Pater, et pro spiritibus fidelium defunctorum: ut sit illis salus, sanitas, gaudium et refrigerium, hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te pane vivo, qui de cælo descendisti et das vitam mundo, de tua carne sancta et benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de sancto et glorioso Beatæ Virginis Mariæ utero est assumpta, et de Spiritu Sancto concepta, ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit, ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati exsultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ be-

nedictionis, et sanctificatio tuæ divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa Sancti Spiritus tui invisibilis, incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras Corpus et Sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate et lacrimarum devotione, cum reverentia et tremore, ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium, tam vivorum quam defunctorum.

Sabbato.

Rogo etiam te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis et Sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summæ divinitatis participes efficimur: da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad Altare tuum accedam, ita ut hæc cælestia Sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. . . Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. . . Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam, præter te, sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum, et omnem saporem, qui nos semper reficis, et numquam in te deficis: comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur

viscera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno; manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de cælo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen et continua salus animæ et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes; recedant procul a præsentia potentiæ tuæ, ut foris et intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniam; ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi; accedo tamquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper et egenus ad Dominum cæli et terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem; ut panem Angelorum, Regem regum, et Dominum dominantium tanta suscipiam reve-

rentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi, quæso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentia centum dierum. Leo XIII. 20. Dec. 1884.

Oratio S. Ambrosii Episcopi.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meis meritis nihil præsumens, sed in tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio; et quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo; tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus ti-

meo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiæ tuæ, Domine Jesu Christe, Rex æterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te, miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis numquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose Sanguis de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturæ tuæ, quam tuo Sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea; ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear Sancta Sanctorum; et concede, ut hæc sancta prælibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animæ quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Indulgentia centum dierum. Leo XIII. 20. Dec. 1884.

Oratio ad B. V. Mariam.

O Mater pietatis et misericordiæ, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu, et precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti astitisti,

ita et mihi misero peccatori, et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus clementer assistere digneris, ut tua gratia adjuti, dignam et acceptabilem Hostiam in conspectu summæ et individuæ Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Indulgentia centum dierum. Leo XIII. 17. Febr. 1883.

Oratio ad S. Joseph Sp. B. V. M.

O felicem virum beatum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluerunt videre et non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre, et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

℣. Ora pro nobis, beate Joseph. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui dedisti nobis regale sacerdotium, præsta quæsumus, ut sicut beatus Joseph Unigenitum Filium tuum, natum ex Maria Virgine, suis manibus reverenter tractare meruit et portare, ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro sæculo præmium habere mereamur æternum. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulgentia centum dierum. Pius IX. 4. Febr. 1877.

Oratio ad omnes Angelos et Sanctos.

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes cælorum, Cherubim atque Seraphim, omnes Sancti et

Sanctæ Dei, præsertim Patroni mei, intercedere dignemini pro me, ut hoc Sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre ad laudem et gloriam nominis sui, et ad utilitatem meam, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ. Amen.

Indulgentia centum dierum. Leo XIII. 20. Dec. 1884.

Oratio tantummodo dicenda, quando sacerdos in honorem Sancti vel Beati Missam celebrat.

O Sancte N., ecce ego miser peccator, de tuis meritis confisus offerre nunc intendo sacratissimum Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi pro tuo honore et gloria. Precor te humiliter et devote, ut pro me intercedere digneris, ut tantum Sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam, et eum tecum, et cum omnibus electis ejus æternaliter laudare, atque cum eo semper regnare valeam. Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentia centum dierum. Leo XIII. 20. Dec. 1884.

Directio intentionis ante Missam.

Ego volo celebrare Missam et conficere Corpus et Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiæ triumphantis, ad utilitatem meam totiusque curiæ militantis; pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, ac pro felici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam et consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Indulgentia quinquaginta dierum. Gregor. XIII.

Gratiarum actio post Missam.

Antiphona. Trium puerorum * cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

In duplicibus dicitur integra, et tempore Paschali additur: Alleluja.

Canticum trium Puerorum. Dan. 3.

Benedicite, omnia opera Domini, Domino: * laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite, Angeli Domini, Domino: * benedicite cæli, Domino.

Benedicite, aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino: * benedicite, omnes virtutes Domini, Domino.

Benedicite, sol et luna, Domino: * benedicite, stellæ cæli, Domino.

Benedicite, omnis imber et ros, Domino: * benedicite, omnes spiritus Dei, Domino.

Benedicite, ignis et æstus, Domino: * benedicite, frigus et æstus, Domino.

Benedicite, rores et pruina, Domino: * benedicite, gelu et frigus, Domino.

Benedicite, glacies et nives, Domino: * benedicite, noctes et dies, Domino.

Benedicite, lux et tenebræ, Domino: * benedicite, fulgura et nubes, Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite, montes et colles, Domino: * benedicite, universa germinantia in terra, Domino.

Benedicite, fontes, Domino: * benedicite, maria et flumina, Domino.

Benedicite, cete, et omnia, quæ moventur in aquis, Domino: * benedicite, omnes volucres cæli, Domino.

Benedicite, omnes bestiæ et pecora, Domino: * benedicite, filii hominum, Domino.

Benedicat Israël Dominum: * laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite, sacerdotes Domini, Domino: * benedicite, servi Domini, Domino.

Benedicite, spiritus, et animæ justorum, Domino: * benedicite, sancti, et humiles corde, Domino.

Benedicite, Anania, Azaria, Misaël, Domino: * laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu: * laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es, Domine, in firmamento cæli: * et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus: * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: * laudate eum in psalterio, et cithara.

Laudate eum in tympano, et choro: * laudate eum in chordis, et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: * omnis spiritus laudet Dominum. — Gloria Patri.

Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. ℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Exsultabunt Sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis, Domine, non nobis. ℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Da nobis, quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas exstinguere, qui beato

Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sacerdos, qui post antecedentes Canticum, Psalmum, Antiphonam, Versiculos et Orationes recitat sequentes duas Orationes, quarum altera S. Thomæ Aquinatis est, altera S. Bonaventuræ, lucratur Indulgentiam unius anni. Leo XIII. 20. Dec. 1884.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et precor, ut hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ et libidinis exterminatio, caritatis et patientiæ, humilitatis et obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio: contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu Sancto Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio S. Bonaventuræ.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat, et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ: te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ et scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea, et cor meum. Amen.

Rhythmus S. Thomæ Aquinatis ad sacram Eucharistiam.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quæ sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur;
Credo quidquid dixit Dei filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.

In Cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens, atque confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præstans homini:
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

Indulgentia centum dierum. Leo XIII. 20. Dec. 1884.

Oratio ad D. N. Jesum Christum.

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut Passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar: vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delecter; aspersio Sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum; mors tua sit mihi vita indeficiens, crux tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exsultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Omnes sacerdotes consequi valent remissionem defectuum et culparum in Sacrificio Missæ litando ex humana fragilitate contractarum, si hanc Orationem post oblatum divinum Mysterium recitaverint rite dispositi ac, nisi impediantur, genuflexi. Pius X. 29. Aug. 1912; præterea Indulgentia trium annorum. Pius IX. 11. Dec. 1846.

Invocationes et preces.

Anima Christi, sanctifica me. — Corpus Christi, salva me. — Sanguis Christi, inebria me. — Aqua lateris Christi, lava me. — Passio Christi, conforta me. — O bone Jesu, exaudi me. — Intra tua vulnera absconde me. — Ne permittas me separari a te. — Ab hoste maligno defende me. — In hora mortis meæ voca me. — Et jube me venire ad te. — Ut cum sanctis tuis laudem te. — In sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentia septem annorum singulis diebus. Indulgentia plenaria semel in mense, si quotidie dicantur. Pius IX. 9. Jan. 1854.

Oratio dicenda ante imaginem Ss. Crucifixi.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum pœnitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere: dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero, ac mente contemplor, illud præ oculis habens, quod jam in ore ponebat tuo David Propheta de te, o bone Jesu: *Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Indulgentia plenaria, dummodo per aliquod temporis spatium, juxta mentem Summi Pontificis, oretur. Pius IX. 31. Julii 1858.

Oratio ad B. V. Mariam.

O Maria, Virgo et Mater sanctissima, ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti, atque suavissimis amplexibus strinxisti. Ecce, cujus aspectu lætabaris et omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter repræsento, et offero tuis brachiis constringendum, tuo corde amandum sanctissimæque Trinitati in supremum latriæ cultum pro tui ipsius honore et gloria, et pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum. Rogo ergo te, piissima

Mater, impetra mihi veniam omnium peccatorum meorum, uberemque gratiam ipsi deinceps fidelius serviendi, ac denique gratiam finalem, ut eum tecum laudare possim per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentia centum dierum. Leo XIII. 20. Dec. 1884.

INDEX.

De sacrificio Missæ.

Pag.

Prænotanda. V
Præmonitio auctoris. IX

Caput 1.

Quædam præmittuntur de ipso Missæ sacrificio.

1. Quale sacrificium sit Missa. 1
2. De his, qui offerunt hoc sacrificium. 3
3. De vi effectiva hujus sacrificii. 5
4. De valore et fructibus sacrificii. 8
5. Quæ praxis servanda in applicatione Missæ. 12

Caput 2.

De requisitis in sacerdote ad rite et pie celebrandum.

1. De puritate vitæ. 16
2. De rectitudine intentionis. 19
3. De actuali devotione. 20

Caput 3.

Variæ considerationes ante Missam.

1. Quanta sit sacerdotum dignitas, et quanta debeat esse sanctitas. 23
2. De excellentia hujus sacrificii. 25
3. De ejusdem necessitate. 28

Pag.
4. Qua reverentia celebrandum sit. 31
5. Aliæ considerationes ad pios affectus in celebrante excitandos. 34

Caput 4.

De his, quæ Missæ celebrationem proxime antecedunt.

1. De necessitate præparationis. 37
2. De præmittenda confessione sacramentali. 40
3. Modus confitendi. 43
4. Oratio ante confessionem, et actus contritionis. 45
5. Oratio post Confessionem. 47
6. Directio intentionis ante Missam. 49
7. Deprecatio pro omnium necessitatibus. 51
8. Specialis oblatio sacrificii, quatenus est latreuticum. 55
9. Oblatio sacrificii, quatenus est eucharisticum. 57
10. Oblatio sacrificii, quatenus est propitiatorium. 62
11. Oblatio sacrificii, quatenus est impetratorium. 63
12. Actus diversarum virtutum ante Missam.
Fidei. 67
Spei. 69
Caritatis. 70
Desiderii. 71
Gratitudinis. 72
Timoris. 74
Humilitatis. 75

Pag.
13. Commemoratio Dominicæ passionis ante Missam. 77
14. Oratio ante Missam ad Patrem. 81
15. Oratio ante Missam ad Dominum Jesum Christum. 82
16. Alia Oratio ad eumdem. 84
17. Oratio ad Spiritum Sanctum. 86
18. Oratio ad beatam Virginem. 87
19. Oratio ad sanctos Angelos. 88
20. Invocatio omnium Sanctorum. 90

Caput 5.

De Missæ celebratione.

1. De proxima dispositione ad Missam. 92
2. De sacris vestibus et earum significatione. 95
3. De accessu sacerdotis ad altare. 100
4. De initio Missæ usque ad Introitum. 103
5. De Introitu usque ad Epistolam. 108
6. De Epistola, Evangelio et Symbolo. 110
7. De Offertorio usque ad Canonem. 112
8. De Canone usque ad Consecrationem. 118
9. De Consecratione usque ad Orationem Dominicam. 123
10. De Oratione Dominica usque ad Communionem. 128
11. De Communione. 131
12. De postrema parte Missæ usque ad finem. 134

Pag.

Caput 6.

Quid agendum post Missam.

1. Discessus sacerdotis ab altari, et quædam exercitia post Missam. 137
2. Actus amoris post Missam. 141
3. Gratiarum actio post Missam. 143
4. Oblatio post Missam. 145
5. Petitiones post Missam. 147
6. Aspirationes post Missam ad B. Virginem, Angelos et Sanctos. 149

Conclusio exercitiorum post Missam. 152

7. Cur multi ex frequenti celebratione non proficiant. 153

Caput 7.

Praxis celebrandi, cum quis prolixius orare non potest.

1. De præparatione. 156
2. De celebratione. 158
3. De gratiarum actione. 160
4. Aspirationes post Missam sæpe per diem repetendæ. 161

APPENDIX I.

De effectibus, fructu et applicatione sanctissimi sacrificii Missæ.

Cap.

Procœmium. 165

1. Quid sit sacrificium Missæ. 166
2. Quænam reperiantur in sacrificio Missæ. 167

Cap. Pag.
3. Qui sint effectus, fines, fructus, officia sacrificii Missæ. 170
4. Unde sit in sacrificio Missæ vis impetrativa et propitiativa. 178
5. In quos derivari possit qualiscumque effectus ac fructus Missæ sacrificii. 192
6. Qui fructus ex sacrificio Missæ redundent in justos, et quomodo. 203
7. Quis fructus ex Missæ sacrificio in peccatores, excommunicatos, infideles, mortuos, cooperantes redundet. 213
8. Quis fructus redundet ex Missæ sacrificio in sacerdotem ipsum offerentem. 220
9. Quotupliciter fructus sacrificii in sacerdotem sacrificantem redundet. 233
10. Quantus sit effectus sacrificii Missæ. 246
11. Solvuntur aliquæ de applicatione fructuum sacrificii Missæ quæstiones. 254
12. Quomodo per sacrificium Missæ obtineantur indulgentiæ. 268
13. Quomodo liberentur animæ ex purgatorio sacrificiis Missæ, tum ad altaria privilegiata, tum ex privilegio. 272
14. Quid sit faciendum cum actionibus et orationibus, quæ in toto Missæ sacrificio interveniunt. 278

Cap. Pag.
15. Exponitur modus distribuendi fructum sacrificii Missæ et actionum in eo intervenientium. 281
16. Exponitur alius modus distribuendi fructum sacrificii Missæ eumque applicandi. 287
Praxis applicandi effectus sacrificii. 290

APPENDIX II.

Aphorismi eucharistici sive piæ celebrationis monita.

Procœmium. 293
1. Dignitas sacerdotii et sacrificii. 295
2. Præparatio Missæ præmittenda. 301
3. Puritas et sanctitas ad dignum hujus sacramenti usum requisita. 315
4. Probatio sui ipsius ante Missam. 324
5. Fides et devotio erga divinissimum Sacramentum. 344
6. Pura et sancta intentio celebrantium. 360
7. Corporis et animi compositio sub sacrificio. 367
8. Recessus ab altari seu gratiarum actio post Missam. 380
9. Frequens oblatio sacrificii Missæ. 390
10. Effectus sacrificii Missæ. 410

Pag.

APPENDIX III.

Preces ante et post Missam.

Præparatio ad Missam. 419
Orationes S. Ambrosii Episcopi. 425
Oratio S. Thomæ Aquinatis. 431
Oratio S. Ambrosii Episcopi. 432
Oratio ad B. V. Mariam. 433
Oratio ad S. Joseph Spons. B. V. M. 434
Oratio ad omnes Angelos et Sanctos. 434
Oratio tantummodo dicenda, quando sacerdos in honorem Sancti vel Beati Missam celebrat. 435
Directio intentionis ante Missam. 435
Gratiarum actio post Missam. 436
Oratio S. Thomæ Aquinatis. 439
Oratio S. Bonaventuræ. 440
Rhythmus S. Thomæ Aquinatis ad sacram Eucharistiam. 441
Oratio ad D. N. Jesum Christum. 442
Invocationes et preces. 442
Oratio dicenda ante imaginem Ss. Crucifixi. 443
Oratio ad B. V. Mariam. 443

244.445 Giovanni,
B64 Cardinal, 44217
BONA, ~~IOANNES~~ 1609-1674
AUTHOR

De Sacrificio Missae
TITLE

ATE DUE | BORROWER'S NAME

Schlatter

STORAGE - CBPL

44217